QVAESTIO DISPVTATA INTER ANNIBALEM GVASCHVM ALEXANDRINVM.

ET RAPHAELEM DOMENICVM
Lucenſem, Ordinis Prædicatorum, ſacræ Theologiæ profeſſorem Mediolani; & in cœnobio D. Euſtorgij celeberrimi Gymnaſij Præfectum.

Vtrum inter Animas humanas alia ſit eſſentialiter perfectior alia.

Acceſſit ipſimet quæſtioni Additio eiuſdem Annibalis Guaſchi, per quam explicatur quid D. Thomas de hac re ſenſerit.

Inſuper, ſolutio argumenti, de cauſa incorruptibilitatis Intelligentiarum.



Trini. Apud Jo. Franciſcum Iolitum de Ferrarijs. 1577.

ANNIBAL GVASCHVS
LECTORI S.

IN Ea plerunque incidimus (benigniſsime lector) quæ nos ad improuiſum , inopinatumq; perducunt exitum ; quod ipſi nos in præſentia experiri cogimur;cùm hęc à pręceptore meo, ſingularis doctrinæ viro, & à me obiter tractata,in lucem prodeant ; quod quidem cùm fieret,id neuter noſtrùm conſtituerat, ſed, cùm Doctor ipſe Mediolano peſtilentiæ metu in ea Ciuitate furẽtis, ad nos ſe contuliſſet,illo à me,quodam die,ad cœnam vocato , accidit, vt ex variis ſermonibus,inuicem excitatis,in eum tandẽ de Animæ natura dilaberemur ,rogareturque inſtitutor meus à me, quid de opinione illa ſentiret,quam nonnulli D. Thomæ rerum humanarum,diuinarumque lumini præclariſsimo,adſcribunt,in prima parte , quæſt. 85. & art. 7. & in primo ſententiarum diſt.8. & in ſecundo diſt. 32. videlicet inter hominum animas ſecundum earum naturam,aliam ab alia ſuperari ; Ille ipſe autem huius defendendæ ſententię prouinciam ſuſcepit: ego verò eius , pro exiguis ingenij mei viribus profligandæ. Verùm enimuerò ab incepto ſermone , à quibuſdã reuocati,

qui ad me officij cauſa venerant, litem diſtulimus; Sed ego ne grauiſsimæ huius rei veritas diutius fluctuaret, quæ contra axioma iſtud haberem doctori meo per literas ſignificãda exiſtimaui. Quare, vnus vrgendo, alter propellendo, vterque fecimus, vt breui tempore, paruum hoc conficeretur volumen; quod, vt memoriam præceptoris conſeruarem, cui ita me deuinctum eſſe intelligo, vt quę ex eius ſententia depromantur, habeam in delicijs omnia, ſcribæ meo ordine exſcribendũ dedi; quo factum eſt, vt cùm illud à nonnullis, mihi ſumma neceſsitudine coniunctis, & non mediocri doctrina præditis, videri permiſerim victus eorum precibus nunc diuulgari conſentiam; non quò aliquid ab hac re laudis expectem, Scio etenim, nihil in eo, quod à me manarit ineſſe, quo mihi decus parari queat; quod ſi eſſet, id prorſus aduerſario meo acceptum ferrem; & quicquid in poſterum ex meis ſtudiis elucebit, relaturum polliceor; quæ quidem res effecit, vt eo abſente, has exercitatiunculas typis excudendas dare non dubitarim. Itaque (humaniſsime lector) cùm tanti faciendũ ſit amicitiæ vinculũ, vt nihil illis honeſtè petentibus ſit denegandum; hęc ęquo animo legas obſecro; in quibus mentis candorẽ potius, quàm ingenij mei nullius momenti fructus perpendas; malui etenim reprehenſionis adire periculum, quàm me pertinacẽ, ac duræ ceruicis hominẽ præbere ijs, quibus, & hæc, & maiora debeo. Si autem, nulla erit in hac communi ſcriptione legentibus delectatio, & vtilitas, fortaſſe à nobis ſaltẽ dabitur præſtantioribus ingenijs vberiores de hac re fõtes aperiẽdi occaſio. Vale.

HABEBIS Prætereà (candide lector) in calce huius libelli quandam difficultatem à Docente propoſitam, & à Diſcipulo ſublatam, quam idcirco hic eſſe paſſus ſum, quòd eidem inſtitutori meo, quæ ſua eſt humanitas, non diſplicuit. Iterum vale.

F. VINCENTII CALCII SONCINATIS, LECTORIS ORDINIS PRÆDICATORVM.

DE ANNIBALE GVASCHO.

ANNIBAL Antè aras iurando ſtringeret enſem,
Feruidus in Romam Martia caſtra parat.
GVASCHVS & impauido cernens hoſtilia uultu,
Vibrat tela, furit, fortia membra quatit.
Tentat an in formis hæc ſit præſtantior illa,
An fortaſſè pares, corpora noſtra regant.
Dogma probat celſum, ſic victor Palladis haſta,
Signa gerit palmæ, tempora cingit honos.
Ergo animæ cupidus grauiores noſcere cauſas,
Scripta legat GVASCHI. DOCTA LEGISSE IVVAT.

ANNIBALIS MAGNOCABALLI Philoſophi ac Medici Caſalen. de Annibale Guaſcho. Elogium.

AOnidum Cultor teneros qui luſit amores,
Delitias dudum, pulchra Corinna, tuas,
Nunc alto promit grauiora uolumina plectro
Guaſchus, de Sophiæ fontibus hauſta diu:
Diuini iamiam eloquij maioribus auſis
Scripturus, miris myſtica ſacra modis.
Scilicet ut tandem triplici virtute decorum
ANNIBALIS cingat trina corona caput.

EIVSDEM AD AVCTOREM.

ANnibal inſanum vincit dum Punicus hoſtem,
Nouit victrici non bene ſorte frui.
At tu dum inuictum uincis uouus ANNIBAL hoſtem,
Victor abis, palmæ claraque ſigna refers.

STEPHANI GVACII CASALENSIS.

HOc opus exiguum, quo maxima munera magnus
Annibal effundit, dum lego (ſæpe lego)
Aemulus ipſe mihi dico, cur GVACIVS es tu?
(Proh dolor) et cur non Guaſchus es ipſe magis?
Quandoquidem cano ingenio, ac ætate virenti
Ille fores magnus maior Ariſtotele.

OCTAVII MAGNOCABALLI IVRISCONSVLTI CASALENSIS.

Laurea Pierides olim tibi ſerta dicarant,
Dum caneres varijs carmina culta modis.
Nunc Sophiæ at nodos cum ſoluas ore diſerto,
Teque aliò maior gloria GVASCHE vocet;
Carmine præcellas, Sophia, uix conſtat, an ore,
Dum tibi Mercurius, Pallas, Apollo fauent.
Fortunate nimis, cui tot bona pectore fulgent;
O decus, ò Tanari gloria prima tui.

IOANNIS THOMAE MATII PHILOSOPHI ET Medici Brixiani ad Auctorem.

Splendida, Guaſche, tuæ inſpicimus ſi ſtēmata gētis,
Diceris antiqua nobilitate potens.
Fortunæ ſi in te ſpectentur munera amicæ,
Illa fuit donis vt tibi larga ſuis?
Ad tua ſi Tuſcas inuitas plectra Camœnas,
Creditur ipſe tuo Cynthius ore loqui.
Si Sophiæ audimus reſerantem arcana, parente
Te natum quis non dicat Ariſtotele?
Et GVASCHVM quiſquam miratur creſcere, cunctis
Et tolli inſignem laudibus ANNIBALEM?
Cui tribuere ſuos fors, & Natura fauores,
Quique opibus tantas ingenij auxit opes?

IO. BAPTISTAE LEONIS TRINENSIS, MEDICINAE CANDIDATI, DE EODEM GVASCHO.

AD LECTOREM.

QVI Præceptorem penitus latuêre, diuque
Lucentem ex oculis eripuêre diem.
Hos GVASCHVS nodos ſoluit, ſenſusque repoſtos
Promit, in illuſtri conſtituitque loco.
Dum THOMAE & ſequitur partes, ſectamque tuetur,
Per quem ſopitas ſuſcitat uſque faces.
Diſcedit victor, quia non præſtantior adſit,
Corporibus noſtris una Anima hæc alia.
Præcipua hæc igitur capies nunc munera Lector,
Poſthac his etiam plura maiora dabit.

RERVM MEMORABILIVM,
QVAE IN HOC LIBRO CONTINENTVR,
INDEX ABSOLVTISSIMVS,

PETENTE IMPRESSORE

Per F. Vinc. Calcij-Soncinenſem Lectorem.

AN Animæ ſint æquales fol. 1.
Anima eſt ſubſtantia. 2.
Argumenta contra aduerſarium. ibidem.
Auctor cõtra diſtinc. ſuſcipiẽdi magis. 2.
Animæ deffinitio quæ. 4.
Abſurdum eſt unam animam eſſe magis actum altera. ibidem.
Actus primus ſubſtantialis eſt unus ſpecie in omnibus indiuiduis. ibidem.
Anima non eſt minus intellectiua altera 5.
Argutiſſima argumenta auctoris ſunt. 6.
Animus grauis auctoris pro D. Thoma. 10.
Antonij Tromb. opinio de diſtinctione eſſe & eſſentiæ. ibidem.
Actus et potẽtia nõ sũt in aliquo genere. 12.
Ab vno non fit niſi vnum. 13.
Anima eſt tota in toto & tota in qualibet parte. 15. & 80.
Accidens quandoque non eſt in genere accidentis. 16. & 20.
Anima eſt tota in toto quo ad eſſentiam, non quo ad eſſe. 18.
Auctor uitat Scotũ tamquam Caribdim. 25.
Agens diſtinguitur à patiente. 28.
An exiſtentia ſit reſpectus medius. 39.
Additio ſubſtantiæ variat ſpeciem. 46.
Ariſt. aduerſus inæqualitatẽ animarũ. 48.
Anima non pendet à corpore. 50.
Anima eſt forma, motor, & finis. 52.
Ammonij expoſitio de ſubſtantijs. 56.
A fine trahitur ſpecies. 59.
Actus improprius non actuat impropriam materiam. 61.

A v Actus

Actus recipitur in materia capaci actus. 68.
Animaduerſio in uerbis D. Thom. de animabus. 161.
Actuum, unus ut ſomnus, alter ut uigil: a. 73.
Actus ſecundus diſtinguitur à potentia formata ſpecie. 78.
Anima non unitur corpori medijs diſpoſitionibus. 80.
A diuerſitate potentiæ in actu prouenit diuerſitas effectus. 91.
Angeli differunt natura in intelligendo. 98.
Anima ſecundùm Platonem, nullum induit corporeum. 100.
Animæ ſunt genitæ, & ingenitæ ſecundùm Platonem. 101.
Anima comparatur agro deprauato ſecundùm Porphyrium. 104.
Anima labit ex eius fœcunditate. ibidem.
Anima quomodo vniatur corpori. 105.
Anima abſolutè & inhærens cauſat varium intelligere. 106
Animæ facultates ſecundùm Plat. ibidem.
Animæ inſtrumentum ſecundũ Platon. 107.
Anima ex precta à ſenſu, q̃uo intelligat. 109
Anima ſentit compaſſiones ſenſuum. 110.
Anima vtitur ſenſu iuxta Plat. ibidem.
Anima quomodo ſubſiſtat. 115.
Alius effectus animæ, alius compoſiti. 116.
Aliud potentia, aliud materia. 128.

B.

Bonitate doctrinæ, auctor eſt vere præceptor. 37.
Bonitatè tactus præſtant homines. 50.
Bonum eſt propter quod intellectus agit. 59.
Bacconus negat ſpecies impreſſas ab intellectione diſtinctas. 76.
Bonitas aĩæ noſtræ eſt ex actu ſecundo. 93.
Beſſario de origine aĩarũ quid ſentiat. 102.

C.

Contra reſponſiones aduerſarij de eſſe & eſſentia. 11.
Contrariæ probationes, quod eſſentia ſit idem cum eſſe. 22.
Cauſæ ſunt inuicem cauſæ in naturalib. 29.
Cõparatur argute aduerſarius Marcello. 31
Caietani fundamentum de inæqualitate animarum. 50.
Corpus ſequitur naturam animæ. 52.
Contra Caietanum argumenta. 53.
Contra Paulum de Soncino. 80.
Cauſa acuminis ſenſuum. 85.
Cur intellectus magis in hoc vigeat quam in illo. 87.
Cauſa remota diuerſitatis intelligendi. 93.
Comparatio non eſt in ęquiuocis. 94.
Comparatio ſecundùm analogiam. 95.
Conciliatio Io. Grammatici pro Plat. de generatione animarum. 101.
Cur anima ſit cauſa efficiens. 120.
Cauſa proxima & remota perfectionis intelligendi. 125.

D.

Dominicus Lucenſis præceptor laudatur ab auctore. 1.
Differentiæ eſſentiales variãt ſpeciem. 2. & 54.
De ſubſtãtia prædicatur forma, materia, & compoſitum. 3.
Diſtinctio ſuſcipiendi magis, & minus. 7.
De nullo ſcitur quid rei, niſi conſliterit ip-

ſum exiſtere. 10.
Differentiæ ponuntur in ſuo genere. 21.
Duæ formæ non poſſunt eſſe ſimul. 48.
Diſpoſitiones redundant in animam, occaſionaliter. 58.
Duo loca D. Thom. de inæqualitate animarum. 62.
Differunt uirtus ad intelligendum, & in intelligendo. 69.
Diſtinctio potentiæ nõ operantis & operãtis eſt Ariſt. 74.
Democriti riſus. 85.
D.Thom. nõ adſcribit inæqualitatem ſciẽdi naturæ animæ. 91.
Difficile eſt ſecundum Plat. videre diuerſitatem animarum. 97.
D. Auguſtini opinio de ortu animarum iuxta Plat. 102.
Dubium in verbis. D. Thomæ. 123.

E.

Eſſe non eſt accidens eſſentiæ. 6.
Eſſe diſtinguitur ab eſſentia.
Eſſe eſt in eodem genere cum eo cuius eſt.
Eſſe animæ eſt in genere ſubſtãtiæ. ibidem.
Eſſe exiſtentiæ ab anima in ſubiecto eſt magis, & minus. 8.
Eſſentia perfecta in ſe, eſt eſſe diminutũ. 11.
Exiſtentia eſt præſentia rei in tẽpe. 11. et 20.
Eſſentia abſtrahit ab hĩc & nunc.
Exiſtentia non eſt actus eſſentiæ ibidem.
Exiſtentia non eſt in genere ſubſtantiæ. 12.
Eſſentia eſt indifferẽs ad eſſe et nõ eſſe. 17.
Ens non æque dicitur de omnibus. ibidem.
Exiſtentia naturaliter ſequitur eſſentiam. 18.
Exiſtentia eſt in genere quantitatis. 21.
Exiſtentia per accidens prædicatur de eſſentia. 22.
Exemplaria in mente diuina ratione differunt ab eſſentia. 27.
Eſſe per accidens multis modis. 31.
Eſſentia eſt in potentia ad eſſe, ut potentia ad actum. 33.
Eſſe eſt quo res exiſtit. 34.
Eſſe ſequitur naturam extra cauſas.
Eſſentia non denominatur ab eſſe. ibidem.
Exiſtentia eſt in ſuo genere. 40.
Exiſtentia eſt vltima actualitas. 41.
Eſſe ſubſtantiale eſt quid indiuiſibile. 46. & 54.
Eſſentia animæ diſtinguitur à ſuis potentijs. 71.
Ens terminat intellectum. 82.
Eadem eſt potentia ſenis, & iuuenis. 85.
Eadem ſpecies non poteſt intendi, & remitti. 92.
Eſſe aliter conuenit homini & animæ. 116.
Epilogus quæſtionis primæ. 126.

F.

Formæ diuerſæ habent diuerſas operationes. 5.
Fit vnum per accidens ex duobus in actu. 14.
Forma ordine naturæ præcedit materiã 29.
Forma eſt terminus quo. 34.
Fundamenta Capreoli diruta de animabus. 49.
Formatum differt ab informi. 76.
Forma eſſentialis indiuidua non variatur. 79.
Forma ſubſtantialis non magis participatur. 80.

Gradus

G.

Gradus maiores ſui non dat anima ſed exiſtentiæ ſubiecto. 18.
Grauiſſima probatio quod exiſtentia ſit in genere quantitatis. 21.
Græcos,tum Arabes ſequitur auctor. 54.
Genus non diuiditur niſi per contrarias diſtantias. 92.

H.

Humilitas auctoris. 9.
Habere exiſtentiam eſt exiſtere hic & nunc. 21.
Hic & nunc non dicitur de exiſtentia in tranſitiuè. 32.
Homo non differt ſpecie ab altero homine. 55.
Heracliti fletus. 85.
Hominis diffinitio ſecundum Plat. 107

I.

Indiuidua ſunt extra prædicamenta. 4.
Ita eſt eſſe ad non eſſe, ut exiſtere ad non exiſtere. 12.
Ita res ſe habent ad eſſe, ſicut ad operari. 24.
Indignitas eſt animam rationalem intendi, & remitti. 46.
In ſpecie non eſt prius aut poſterius indiuiduum. 49.
Inſtrumentum ordinatur ad cauſam. 50.
Idem ut idem non mouet ſe ipſum. 72.
Intellectus humanus eſt ut tabula raſa. 76.
Idem non producit ſe. 78.
In ſecũda ſpecie qualitatis nõ eſt motus. 85.
Intellectus viatoris non intelligit ſine phantaſmate. 86.
Indiuidua eiuſdem ſpeciei differunt per actum ſecundum. 90.
Iuxta Plat. animæ non diſtinguntur ſpecie. 99.
In quo ſigno anima eſt perfectior alia ſecundum. D. Thom. 119.
In ordine actuum,fit reductio ad vnũ 129.

L.

Laudes D. Tho. in epiſtola prima. & 43.
Laudatur auctor à præceptore. 16.
Legem eandem habent oppoſita. 25.

M.

Materia appetit formam. 14.
Magis perfecta eſt anima quo ad eſſe,nõ quo ad eſſẽtiã 36.
Materia quaſi non ens eſt. 45.
Multæ ſententiæ. D. Thom. de inæqualitate animarum. 47.
Motus non eſt in ſubſtantia. 48.
Materia ordinatur ad formam. 50.
Modus formæ ſupra formam,non datur. 57
Modus procedendi in ſcientijs. 66.
Meliori corpori melior anima. 67.
Marſilij opinio de prioritate animæ. 105.
Materia eſt ad aliquid. 130.
Materia cæli eſt tantum in potentia ad formam cœli. 131.
Materia eſt cauſa ſine qua non ſit corruptio. 135.

Nulla

N.

Nulli ſubſtantiæ conueniunt infinita prædicata eſſen. 3.
Nihil eſt in potentia ad ſeipſum. 17.
Non ens non ſuſcipit magis & minus. 25.
Non ens caret omni forma.
Negatio eſt minus ens priuatione ibidem.
Nulla priuatio naturaliter ſequitur eſſentiam. 30.
Nec uictor, nec victus, quieſcit auctor. 31.
Naturalis virtus cauſat effectum, organũ defectum. 85.
Naturæ materialis exiſtentia eſt tantum in indiuiduis. 86.
Non eſt aliud eſſe compoſiti, quam eſſe animæ. 116.
Notãdũ de anima ut forma et efficiẽs. 119.
Non poteſt eſſe una potentia ad omnes actus. 128.

O.

Opinio Domenici de æqualitate animarum. 1.
Omne per accidens reducitur ad per ſe. 3.
Obiecta ſenſuum accidentia ſunt 4.
Operationes ab anima ſunt cõpoſiti, ibidẽ, & fol. 115.
Ordo naturæ particularis, eſt exemplũ vniuerſalis. 29.
Ordo auctoris qualis. 44.
Opinio Auerrois de intenſione formarum. 45.
Opinio D. Tho. de intenſione formarũ. 45.
Opinio Mag. ſent. de inæqualitate animarum. 67
Opinio Plat. de ſcientia animarum. 75
Opinio Plat. de intellec. in actu & habitu. 76.
Opinio Pla. de antiquitate animarum. 103.
Oppoſita ſunt circa idem. 74.
Obiecta ſenſuum non perueniunt ad imagin. ſecundum Plat. 110.

P.

Prædicata eſſentialia non intenduntur. 2.
Prædicata eſſen. non competunt indiuiduis per ſe. 3.
Potentia & actus ſunt in eodem genere. 6.
Poteſt intelligi eſſentia, abſque an res ſit. 10
Potentiæ naturales fluunt ab eſſentia. 13.
Potentia naturalis toto conatu prodit in actum. ibidem.
Priuatio non ſuſcipit magis & minus. 25.
Primus artifex varia producit uaria ratione. 26.
Paſſio ſubſtantiæ differt genere à ſubſtantia. 28.
Præſens in tempore non temporis, non pertinet ad tempus. 32.
Priuatio ſuſcipit magis, & minus per accidens. 36.
Potentiæ naturali ordine ſequuntur formam. 70.
Phantaſia mouet apetitum. 72.
Potentiæ animæ operantes, differunt à ſe non operantibus. 73.
Potentiæ naturales abſoluté non intenduntur. 81.
Potentiæ naturales ut operantur, ſunt perfectiores. fol. 83. & 84.

Potentiæ ſunt & non ſunt idem cũ organo. 87.
Plato non facit unum per ſe, ex anima & corpore. 97.
Platonis auctoritas de ortu animæ. 102.
Plato cenſet aias eſſe numero pares ſtellis.
Plato putat Deum omnes animas in pateram ieciſſe. ibidem.
Plato differt ab Ariſt. in modo intelligendi animæ. 109.
Primus hominis actus eſt forma. 118.

Q.

QVomodo. D. Thom. teneat inæqualitatem animarũ. 7.
Quod recedit a ſimplicitate, degenerat in naturam. 11.
Qualis proportio inter potentias, talis inter eſſentias. 13.
Quæ forma det eſſe perfectius. 15.
Quis ſenſus ſit. Vnum non producit niſi vnum. fol. 18. & 26.
Quantum debeat auctor. D. Thomæ. 21.
Quæ ſunt vnum in tertio, ſunt vnum inter ſe. 22.
Quot modis agit quis tot eſt agere. 28.
Quintum prædicabile dicitur de ſubſtantia. 33.
Quid ſit eſſe creaturæ receptum. 36.
Quare anima humana ſit nobilior alijs formis. 46.
Quatuor ſunt in anima inter ſe diuerſa. 70.
Quomodo fiat actus intelligendi in nobis. 77.
Quælibet forma indiuidua eſt æqualis. 79.
Qui dat formã dat conſequẽtia ad illã. 81.
Quiditas rei materialis eſt obiectum noſtri intellectus. 82.
Qualitates ſecundæ ſpeciei, non intenduntur. 83.
Quis ſit actus primus. 89.
Quid per Virtutis verbum, intelligat. D. Thom. 93.
Quid ſit animæ regreſſus ſecundum Plat. & Zoroaſtrum. 103.
Quando anima cadat à cœlo ſecundum Plat. 104
Quare in ſempiternis cadit corruptio. 130.
Quæ ſit demonſtratio quia. 135.
Quæ ſit cauſa proxima effectus. ibidem.

R.

REcipere magis & minus, bifariam. 2.
Reſponſio Dominici ad prima argumenta. 6.
Reſponſio ſubtilis auctoris de eſſe, & eſſentia. 10
Remotum ab alio, non remoto illo, eſt accidens eius. fol. 11. & 20.
Roſa ſit vel non ſit, eſt ſubſtantia. ibidem.
Reſponſio tacita titulo quæſtionis primæ p. quæſtione 85. ar. 7. fol. 66.
Reſponſiones pro diſtinctione potentiarum animæ ab anima. 71.
Rationes numeri nequeunt augeri, 79.
Reſponſio Platonica dubi. 112.

S.

SVbſtantia non ſuſcipit magis, & minus. fol. 2. & 44.
Senſus ducit nos ad rationẽ. 4.
Scoti opinio de eſſe & eſſentia,

tia. 10.
Scoti opinio de intenſione formarum. 45.
Singularia indirectè p̃dicãtur de eſſẽtia. 21.
Subſtantia non habet contrarium. 48.
Sola eſſentia diuina eſt ſua operatio. 71.
Scotus non diſtinguit formam á ſuis potentijs. 90.

T.

Triplex ſenſus de inæqualite animarum. 7.
Titulus. D. Tho.p.p.q. 85.ar. 7. interpretatus. 65.

V.

Vltima differentia conuertitur cum diffinito. 3.
Vnica diſtinctio tollit argumenta aduerſarij. 8.
Vis ingenij præceptoris. 19
Vt eſſentia exiſtit, ab illa non ſeparatur eſſe. 36.
Vnio animæ, non eſt violenta 61.
Vnus homo altero melius intelligit. 92.
Virtus ſumitur quandoque pro actu. 94.
Vnuſquiſque Angelus conſtituit unam ſpeciem. 98.
Vbi ſint animæ ante lapſum, ſecundum Plat. 104.
Virgilij opinio de anima in corpore. 112.
Vnus homo, non magis participat effectum for. alio. 117.
Vbi habet locum, Si affirmatio eſt cauſa affir. &c. 135.

FINIS.

DOCTORES GRAVISSIMI
IN HOC LIBRO CITATI.

D. THOMAS ECCLESIAE SPLENDOR.

D. Auguſtinus.
Ariſtoteles.
Auicenna.
Alpharabius.
Albertus Magnus.
Algazel.
Antonius Trombeta.
Auerroes. Alexander.
Ammonius. Aureolus.
Boetius.
Beſſario.
Bacconus.
Bernardus de Gannaco.
Chalcidius.
Capreolus.
Caietanus.
D. Dioniſius.
Dominicus Sotus.
Durandus.
Democritus.
Franciſcus Ferrarienſis.
Franciſcus Cataneus.
Gregorius Ariminenſis.
Heraclitus.
Henricus.
Ioannes Grammaticus.
Iauellus.
Iandunus.
Marſilius Ficinus.
Plato. Plotinus.
Petrus Lombardus.
Porphyrius.
Paulus Soncinas.
Simplicius. Scotus. Sueſſanus
Themiſtius. Toletus.
Trapezuntius.
Zoroaſter.
Zimara.

FINIS.

ERRATA SVPERIORVM

Epigrammatum ſic corrigito, & primus numerus tibi ſignat Epigrammata, ſecundus uerò carmina.

Delenda.	Reponenda.	Delenda.	Reponenda.
1. iurando.	iurans dum 1.	3. uouus.	nouus. 5.
2. haſta.	hauſta 4.	4. Guaſchus.	GVASCHVS 4.

7. Delebis. Poſthac his etiam plura maiora dabit.

Et repones. Hic etiam poſthac vberiora dabit. 10.

ERRATA SEQVENTIA SIC CORRIGITO.

& primus numerus tibi ſignat paginas, ſecundus uerò lineas

Delenda.	Reponenda.	Delenda.	Reponenda.
3. magis	magis. 23.	50. quòd	quod. 18.
4. predicata	prædicata. 8.	51. in impedibiliter.	inimpedibiliter. 2
5. quód	quod. 15.	54. operepratium.	operæpretium. 19.
10. peroportune.	peropportune. 2.	ibidem. quòd.	quod 20.
11. Algatel.	Algazel 17.	55. ſubſtautia.	ſubſtantia. 8.
13. inequalia	inæqualia. 8.	56. mado.	modo. 10.
ibidem uno	unum 14.	ibidem caſualiter.	cauſaliter. 25.
20. preſentiã	præſentiã. 25.	63. immaginatiua.	imaginatiua. 16.
22. quin	quod. 25.	65. moles.	molles. 2.
24. inherente	inhærente. 5.	ibidem operepratiũ.	operæpretium. 16.
ibidem operepratium	operæpretium. 8.	79. unuſquiſque.	unumquodque. 23.
ibidem pœnitus.	penitus. 18.	ibidem ſeparari.	ſuperari. 25.
25. hic.	hîc. 1.	80. ſupraduenientiũ.	ſuperaduenientiũ. 2
26. pœnitus	penitus 25.	83. circonſcripto	circunſcripto 25.
35. in hilo.	nihiló. 14.	88. appareret.	aperiret 10.
45. iperfectionem.	imperfectionem. 5.	94 præſit.	præſtet. 23.
48. qnod.	quod. 6.	99. Marſili.	Marſilij. 21.
ibidem. perfſctionis.	perfectionis. 7.	100. præeſſe.	præſtare. 18.
ibidem intelleſtiuas.	inteſlectiuas. 14.	101. eſt obnoxia.	ſunt obnoxiæ. 3.
ibidem tranſceũdam	tranſeundam. 22.	ibidem habuerit.	Habuerint. 4.
ibidem facit.	iacit. 25.	110. quoddam.	quodam. 10.
49. in tranſmutabilis	intranſmutabilis. 11.	114. quòd.	quod. 11.
ibidem ardinatam.	ordinatam. 24.	117. proporietatum.	proprietatum. 10.

Si aliqui errores præter notatos in hoc libro reperientur, hos indicio Lectoris remittimus.

QVAESTIO DISPVTATA INTER ANNIBALEM GVASCHVM. ALEXANDRINVM, ET RAPHAELEM DOMENICVM LVCENSEM;

Ordinis Prædicatorum, ſacræ Theologiæ profeſſorem Mediolani, & in cœnobio D. Euſtorgij celeberrimi Gymnaſij Præfectum.

Vtrum inter Animas humanas alia ſit eſſentialiter perfectior alia.

Annibal Guaſchus Raphaeli Domenico Præceptori ſuo amantiſſimo. S. P. D.

ITA Meus exardeſcit animus (doctiſſime præceptor) aliquid præclarũ ex vberrimo doctrinæ tuæ fõte haurire; ut cogar hæc pauca ſermonibus illis inſerere, qui in ædibus meis nudius tertius à nobis inter epulas habebantur. Quamobrem in hoc mihi rẽ pergratam facies, ſi aliquas hiſce meis argumentationibus ſolutiones primo quoque tempore adferre non grauaberis.

Erat inter nos quæſtio adhuc ſub iudice relicta, nunquid inter Animas intellectiuas una eſſet eſſentialiter perfectior altera; cuius concluſionis tu partem affirmatiuam ſuſtinebas; potius fortaſſe, quia hoc à Diuo Thoma dictum eſſe videatur, & à Capreolo, Caietano

ietano & Iauello, inter Thomiſtas ſcriptoribus fide dignis, ſit affirmatum; quàm quòd rem ita ſe habere exiſtimares. Ego uerò negatiuæ huiuſce axiomatis parti inhærens; inter cætera argumēta ſic dicebam. Nulla ſubſtantia recipit magis, & minus; Anima eſt ſubſtantia. Ergo. Maior huius argumenti ſic à te explicabatur. Recipere magis, & minus, poteſt bifariam intelligi; vel quòd in definitione alicuius rei perfectæ poſſint addi, vel ſubtrahi aliqua prædicata eſſentialia eius rationi conuenientia, uel quòd prædicata ipſa eſſentialia poſſint intendi, & remitti; Ex quo ſi maior accipiatur primò modo vera eſt propoſitio; ſi ſecundo eſt falſa, et in hoc ſenſu neganda. Sed quia hoc mihi diutius cogitanti magis, atq; magis uidet impoſſibile; non poſſum hac de re tecū hoc pacto nō agere.

Argumentum contra aduerſarium.

Recipere magis & minus bifariā intelligitur ut diſtinguit Aduerſarius.

Contra diſtinctionem Aduerſarij recipiendi magis, et minus.

Si prædicata illa eſſentialia debent intendi, & remitti, neceſſe eſt, quòd aliquis gradus includatur in intenſo, qui in remiſſo non includitur; qui quidem gradus, vel erit accidentalis, vel eſſentialis; Si accidentalis, habetur intentum. Si eſſentialis. Ergo gradus iſte eſſentialis erit quædam differentia eſſentialis, per quam alterum differt ab altero: attamen differentiæ eſſentiales variant rerum ſpecies. Ergo Animæ ſolo diſtinctæ numero diſtinguentur etiā ſpecie. Quòd vèrò tales gradus eſſentiales ſint differentiæ; luce meridiana clarius apparebit, ſi conſiderabimus, quòd impoſſibile ſit aliquid diſtare ab aliquo niſi per aliquam ſui ipſius differentiam; quæ cùm non cohibeatur ſub generibus accidentium, neceſſariò ſibi uendicabit ſubſtantiæ rationem; ex hoc præſertim, quòd ſubſtantia, & accidens æque ſibi diuidunt ens. Amplius ex hac tua poſitione tale oritur incommodum: Nulla eſt ratio, quare magis conueniat uni præ

dicato

dicato, quàm alteri, ex his, quæ ingrediuntur eſſentiam rei augeri, vel diminui. Quamobrem dandum erit, quòd omnia prædicata eſſentialia in diffinitione ipſius animæ contenta, debeant eſſe in hac ſingulari anima intenſiora, quàm in illa; cùm ex omnibus, & ſingulis hiſce prædicatis impleatur tota rei eſſentia: ex quo eueniet, quòd quæcunque prædicata aliquid in ſe recipient, quòd non erit in alio receptum, vt habent eſſe in hac anima, & non in illa. Iſti autem gradus cum poſſint variari ſecundum diuerſitatem numeralem ſuppoſitorum, nihil obſtabit, quin alicui ſubſtantiæ poſſint conuenire infinita prædicata eſſentialia, ſecundum infinitos gradus, per quos alia poteſt ab alia differre.

Præterea, cùm prædicata eſſentialia non conueniant animæ indiuiduæ, & ſingulari niſi per accidens; quatenus hæc continetur ſub ſpecie, cui primo, per ſe, & ſecundum quod ipſum eſſentialia conueniunt; tales intenſiones, & remiſſiones prædicatorum eſſentialium, non poterunt animæ indiuiduæ conuenire, niſi etiam per accidens. Sed omne conueniens alicui per accidens debet reduci ad id, cui per ſe conuenit. Ergo Anima, vt Anima, & non vt hæc Anima, erit intenſibilis, & remiſſibilis. Præterea cùm ultima differentia ſit conuertibilis cum diffinito; ſi propter hoc vltimum prædicatum hæc anima eſt magis talis quàm illa. Ergo Hæc anima erit magis anima quàm illa.

Prædicata eſſentialia non conueniunt indiuiduis niſi per accidens.

Omne per accidens reducitur ad per ſe.

Differentia ultima eſt conuertibilis cum diffinito.

Præterea, ſi ſubſtantiæ prædicata recipiunt magis, & minus intenſiuè, quæcunque de ſubſtantia prædicantur hoc munere fungentur. Sed de ſubſtantia prædicantur Forma, Materia, & Compoſitum. Ergo hoc compoſitum, hæc materia, et hæc formà, erit magis for

ma,magis materia,magis compoſitum quàm illud compoſitum,illa materia, & illa forma,quo nihil abſurdius.

Vlterius,ſi in ipſius animæ diffinitionē ab Ariſt: aſſignatam cō ſiderationem intendemus, erit dicendum; quòd hæc anima ſit magis actus corporis magis phyſici,magis organici,& magis potentia vitam habentis quàm illa: cùm hæc ſit ipſius animæ diffinitio.

Animæ diffinitio.

Anima eſt actus corporis phyſici,organici,potentia vitam habentis; quæ omnia predicata eſſentialia,per te poſſunt intendi, & remitti; vt ex prædicta tua poſitione concluditur. Hoc verò quàm ſit abſurdum tibi cenſendum relinquo.

Senſus manuducunt nos ad rationis indagationem.

Adde, quòd temerè de his ſententia dicitur, quæ nec ex ratione, nec ex ſenſu elici poſſunt; quinetiam ad rationis indagationem ſenſus nos manuducere debent; ſed nec aliquid rationi,nec ſenſui manifeſtū huic tuæ opinioni ſuffragari uidetur. Probamus utrunque huiuſce diuiſionis membrum. Actus primus ſubſtantialis eſt vnus omnium indiuiduorum; vnus inquam ſpecie. Ergo contra id ratio clamitat;quòd in uno ſuppoſito perfectior reperiatur,quàm in altero; quia vnum, quatenus unum,nequit aliquam diuiſionem in ſe ipſo admittere. Quòd autem ſenſus noſtri id nequeant nobis preſtare, quis eſt, qui dubitet? cum obiecta ſenſuum nil aliud ſint, quàm accidentia; Accidentia autem ab anima,uel ut melius dicam virtute ipſius animæ in hoc corpore producta,ſunt operationes;quæ quidem non ſunt ſolius animæ, ſed totius compoſiti.

Obiecta ſenſuū.

Operationes hominis ſunt compoſiti.

Cæterum, ſi hæc anima per rationem ipſam ſpecificam non poteſt ab illa anima differre; cùm in hoc utpotè communi inuicem conueniant; ſequitur ex conſequenti,quòd diuerſitatem hanc à prædi-

ctu

ctis doctoribus excogitatam inde accipiat, à quo eſſe ſuſcipit indiuiduale ſed nihil eſt quod præter ſui ipſius virtutem aliquid alicui tribuat Ergo principium indiuiduationis nihil aliud poterit anima præſtare, quā illud, quod tale indiuiduationis principium ſequitur. Quamobrem cùm indiuidua ſint extra ſeriem prædicamentalem, à veritate abhorrēs erit dicere, quòd prædicata eſſentialia poſſint in hac anima intendi, & remitti, pluſquam in illa propter ſua indiuiduantia principia. Indiuidua ſunt extra ſeriē prædicamentalem.

Præterea forma diuerſa ab alia, debet habere diuerſas potētias ab alia, & diuerſas operationes; & cùm ad formam, ut forma eſt, ſequantur omnes ſuæ potentiæ, remiſſa forma remittentur ex conſequenti omnes ſuæ operationes, & potentiæ; Quocirca ſi hæc anima habebit principia eſſentialia, & ſibi, ut eſt forma conuenientia, remiſſiora quàm illa, erit etiam minus intellectiua, minus rationalis, minus uegetatiua, quā illa quòd mehercule neſcio quomodo dici poſſit. Interim Vale; mèque vt ſoles amore proſequere.

RAPHAEL DOMENICVS

ANNIBALI GVASCHO.

S. P. D.

O MISSIS Præfationibus, reſpondendo ad argutiſſima argumenta, quæ mihi ſubtiliter propoſuiſti; ad rem ipſam me transfero.

Pro quo ſciendum; quòd etſi eſſe, & eſſentia differant realiter inter ſe, & eſſe ſit extra quiditatem, ſeu eſſentiam; non tamen dicitur accidens; ex eo, quòd eſſe eſt ſemper in eodem genere cum eo, cuius eſt eſſe: ſecundum illam Philoſophi ſententiam. Potentia, & actus ſunt in eodem genere; Ex quo fit, vt cùm anima ſit in genere ſubſtantiæ, eius quoque eſſe, ſeu exiſtentia ſit in eodem genere. Quapropter non dicetur prædicatum accidentale, ſed ſub-

Eſſe non eſt accidens eſſentiæ.

Eſſe animæ in genere ſubſtantiæ.

ſtantiale, ſeu eſſentiale; & hoc maxime eſt animaduertendum.

Notandum Secundo, quòd duas formas eſſe inequales eiuſdem ſpeciei, tripliciter contingere poteſt; Primo quòd talis forma habeat plures partes diuerſarum rationum eſſentiam conſtituentes, quam alia, ut aliquod genus, vel differentiam. Secundo quòd una illarum conſtituta ſit ex pluribus partibus eiuſdem rationis. Tertio quia alia dat eſſe ſubſtantiale perfectius, quàm alia; accipiendo eſſe ſubſtantiale, non pro eſſentiali aliquo ingredienti eſſentialia, ſed pro eſſe exiſtentiæ, quòd eſt prædicatum eſſentiale, ſeu ſubſtantiale, vt in primo notando; & quia magis actuat ſubiectum quàm alia; & quia magis à ſubiecto participatur quàm alia. Et in hoc tertio ſenſu eſt intelligendus D. Thomas

Diſtinctio inæqualitatis duarũ formarum inter ſe.

Notandum Tertio quòd ſuſcipere magis, & minus contingit dupliciter: vno modo propriè, quando talis forma inhæret ſuo ſubiecto indiuiſibiliter; & quòd poſſit dare ſubiecto diuerſa eſſe ſucceſſiuè; & quòd ſubiectum participans eam habeat aliunde ſpeciem, quàm per eam; Secundo impropriè non ſi eſſentiam ſpectes; ſed ſi exiſtentiam. Ita quòd ad hoc vt verè aliquid ſuſcipiat magis, & minus, non requiritur tantum quòd aliquid ſit perfectius, aut minus perfectum; Sed quòd talis forma tandem poſſit ſubiectũ ſuum perficere plus, & minus, & eidem dare diuerſa eſſe ſucceſſiuè.

Diſtinctio ſuſcipiendi magis, & minus.

Ad formam igitur argumenti primi, negatur ultima conſequentia. Anima non ſuſcipit magis, & minus. Ergo vna non eſt perfectior altera. Ergo non informat perfectius, & dat eſſe perfectius ſuo ſubiecto; & magis ab eo participatur, iuxta maiorem, & minorem diſpoſitionem ſubſtantialiter, vel eſſentialiter; accipiendo

Reſponſio ad formam argumenti Aduerſarij.

ſubſtantia-

ſubſtanſtialiter,ſeu eſſentialiter non pro eſſentia vel aliquo eſſentiæ intrinſeco,ſed pro eſſe exiſtentiæ quod dat ſubſtantiæ; quod eſt eſſentiale,ſeu ſubſtantiale,modo in ſuperioribus expoſito, in primo notando; quatenus eſſe dicitur prædicatum eſſentiale, vel ſubſtantiale;licet non ſit de intrinſeca ratione ſubſtantiæ, ſeu eſſentiæ, qua quidem ſolutione,ruunt omnia argumenta, & fundamenta, utpotè fundata falſo intellectu verborum D. Thomæ.

Hæc dicere volui in reſponſionem quàm breuiſſime potui. Vale.

ANNIBAL GVASCHVS

RAPHAELI DOMENICO

Præceptori ſuo amantiſsimo.
S. P. D.

LEGI (Doctiſſime uir) magna animi attentione, & lætitia diuinã defenſionem tuã; in qua poſitionem illam D. Thomæ ſtruere conaris ; nec non mea argumenta refellere. Sed quoniam nondum in hoc mihi ſatisfacere potui; quod ex tarditate ingenij mei contingere poſſe exiſtimo ; tua humanitate fretus, purgatiſſimas aures tuas ineptis meis diſputationibus denuo obtundere decreui; & ut ad rem ueniam.

Quia reſponſiones tuæ ad omnia mea argumenta hac ratione nituntur, quòd eſſe exiſtentiæ ipſius rei differat ab eſſe eius eſſentiæ realiter; poſſem equidem hoc fundamentum euertere; ut eo diruto, Fundamentum Aduerſarij.

ruto,

ruto, omnes à te rationes allatæ corruerent; mea autem argumenta ſuum retinerent robur: ad quod mihi peroportunè inſeruirent argumentationes Scoti 1 ſent. diſt. 6. q. 1. atque Antonij Trombetæ acerrimi Scotiſticæ diſciplinæ defenſoris, in Quol. ſuo: Nihilominus cũ hæc poſitio originem ducat à D. Thoma; ut patet in ſuo libro. 2. Con: Gent: cap. 53. & cap. 54. cui ipſe tantũ debeo; ſi id mihi agendum conſtituiſſem, poſthabitis omnibus argumẽtis ab acerrimis illis tanti angelici doctoris hoſtibus, contra id in medium prolatis; ſic dicerem ad duas illas præcipuas rationes, quibus exiſtimant D. Thomæ ſectatores probari poſſe, eſſe uniuſcuiuſque, præter primum, ſecundum rem diſtingui ab eius eſſentia; quarum prima eſt hæc. Quòd cuiuſcunque rei eſſentia perfectè intelligi poteſt; cùm tamen ignoremus ſit ea res nec ne. Altera autem ratio eſt hæc; Quòd cùm vnum, quodque perfectè obtineat ſuam eſſentiam, atque naturam, ſi natura non diſtinguitur ab eſſe cuiuſque, utique vnumquodque perfectè obtinebit ipſum eſſe; Quapropter non erit ens participatione, ſed per eſſentiam; Sic inquam, dicerem; Et primo, ad primum; Quòd ea ratione non probatur, niſi quòd eſſentia ſecundum rationem diſtinguitur ab eſſe uniuſcuiuſque, per quod eſt. Nam ſi eadem eſſentia intelligatur actu emanare, & effluxum habere à primo entium; iam concipiemus eam actu exiſtere; quemadmodum opus eſt auctores huius poſitionis dicere. Poſſem quoq; ex Ariſt: ſententia hanc rationem diluere; quòd de nulla re poteſt intelligi quid rei, niſi de qua conſtiterit, quòd exiſtat. Aliam verò rationem ſic diſſoluerem. Quòd eſſentia uniuſcuiuſque eſt ſuum eſſe, per quod eſt, non tamen ſequitur, quòd ſicut perfectè continet ſuam

Rationes opinãtium eſſe & eſſẽtiam realiter differre.

Argumenta contra diſtinctionẽ realem eſſe, & eſſentiæ.

eſſentiam

eſſentiam, quòd etiam ita perfectè contineat ipſum eſſe; quia eſſentia uniuſcuiuſque in ſe perfecta eſt, eſſe diminutum; quod cùm a ſua ſimplicitate receſſerit, & non enti (ut Platonicè loquar) admixtum fuerit; degenerat in naturam, atque eſſentiam inferioris ordinis, quæ quidem in ſua ſpecie perfecta ſunt: attamen ſunt eſſe diminutum.

Admiſſa igitur hac tua poſitione, quòd eſſentia re ipſa differat ab eſſe: Sic argumentemur; & in primis, ubi tu in primo tuo fundamento dicis, quòd quamuis eſſentia re differat à tali eſſe, non tamen hoc eſſe eſt ſibi accidentale. Contra. Quodcunque ita ſe habet ad aliud, ut ipſo remoto, aliud non remoueatur, id ſibi conuenit accidentaliter. Sed remota alicuius exiſtentia; non remouetur inde eius eſſentia. Ergo exiſtentia accidentaliter conuenit ipſi eſſentiæ; Maior eſt clara, et minor probatur. Exiſtentia rei nihil aliud ſignificat quàm præſentiam ipſius in tempore. Sed eſſentia abſtrahit ab hoc, & nunc temporis. Ergo remota rei exiſtentia non remouetur eius eſſentia. ut enim inquiunt Alpharabius, Auicenna, Algatel, et Albertus; ſiue roſa ſit, ſiue nõ ſit, ſemp eſt roſa; et ſemp eſt ſubſtantia corporea. Ad probationem uerò illam tuam, quòd ideo eſſe exiſtentiæ, non eſt accidens ad eſſentiam, quia uidelicet eſſe eſt ſemper in eodem genere cum illo, cuius eſt eſſe: iuxta illud Potẽtia & actus ſunt in eodẽ genere; cõcedimus hanc propoſitionẽ: ſed eſſe exiſtentiæ non eſt actus eſſentiæ; Ergo eſſe exiſtentiæ non eſt in genere ipſius eſſentiæ: quia & ſi actus determinatus, & potentia determinata ſunt in eodem genere; non ſequitur, quòd quiuis actus ſit in genere cuiuſuis potentiæ: cum actus, & potentia non

Contra reſponſiones Aduerſarij.

Exiſtentia accidentaliter conuenit eſſentiæ, et dicit ipſius præſentiam in tempore.

Eſſe non eſt actus eſſentiæ.

Actus & potentia non ſunt in

aliquo genere.

ſint in aliquo genere cohibita: ſed circumeant omne genus, tanquam tranſcendentia. Quòd uerò exiſtentia non ſit in genere ſubſtantiæ ſic confirmamus. Quodcunque eſt in genere aliquo, uel eſt in genere per ſe, uel per reductionem: ubi collocatur tanquam principium eius eſſentiale intrinſecum; & ſic cū exiſtentia non ſit principium intrinſecum, & eſſentiale ipſius ſubſtantiæ, non erit in ipſius genere reductiuè ponendum. Sed de hoc ſatis.

Exiſtentia non eſt in genere ſubſtantiæ.

Ad ea, quæ per te dicuntur in Secundo fundameto, relictis duobus modis, quibus ſecundum tuam diuiſionem aliqua forma eiuſdē ſpeciei cum altera, poteſt ipſa perfectior dici; nimfaciamus in tertium, quem tu eligis tanquam intentum à D. Thoma; dū Angelicus ille doctor diceret animarum humanarum aliam eſſe eſſentialiter alia perfectiorem; Quòd videlicet hæc forma dicatur perfectior illa; quia hæc dat eſſe eſſentiale ſuo ſubiecto perfectiùs, quàm illa; accipiendo eſſe eſſentiale, non pro aliquo eſſentiali ingrediente eſſentiam; ſed pro eſſe exiſtentiæ; & quia magis actuet ſubiectum; & magis ab ipſo participetur quam alia; & ſic contra hanc rationem dicamus.

Contra ſecundū fundamentum Aduerſarij.

Oppoſita contradictoriè non recipiunt magis, & minus exiſtere, & non exiſtere contradictoriè opponuntur. Ergo exiſtere & non exiſtere magis, & minus minimè recipiunt. Maior non eſt neganda; et ſi minor negetur, hoc pacto, per nos probabitur. Sicut ſe habet eſſe ad non eſſe, ita etiam exiſtere ad non exiſtere ſed eſſe, & non eſſe ſunt contradictoriè oppoſita. Ergo. Sed de hoc ſi lubet, uberius agamus, ut veritas magis eluceat.

Si hæc forma ſubſtantialis minus perfectè actuat ſuum ſubiectum,

ctum, quàm illa, hoc neceſſariò euenit, vel ex parte receptibilis, vel ex parte recipientis; ſi ex parte formæ receptibilis; vel hæc forma eſt illi naturaliter æqualis potentiæ ad actuandum ſuum ſubiectum, vel inæqualis; ſi inæqualis. Ergo etiam inæqualis eſſentiæ; quia cum potentiæ naturales fluãt à principiis eſſentialibus ſpeciei, qualis eſt proportio inter potentias naturales ſubſtantiarum; talis erit & ipſarum eſſentiarum proportio; & ſic vbi erit huiuſmodi inæqualis virtus, ibi etiam erunt inæqualia principia ſpecifica. Quamobrem tales formæ diſtinguentur inter ſe, non ſolum numero, ſed etiam ſpecie; & ſic quæſtio redibit in idem. Si autem tales formæ erunt æquales potentiæ; vel qualibet ipſarum omni ſua vtetur potentia ad actuandum ſubiectum, uel non. Si primum. Ergo alia non actuabit ſuum ſubiectum minus perfectè quàm alia; nec ab ipſo minus perfecto modo recipietur; quia ab vno quatenus uno, non prouenit niſi vnum. Ab uno ut uno non fit niſi unũ. *At ſi non omni ſua potentia utetur ad actuandũ ſubiectum propriũ, tunc illa pars potentiæ ordinata ad actuandum ſuum ſubiectum, quæ nihil huic formæ inſeruit, erit inanis cùm nunquam reducatur ad actum. Adde, quòd nec etiam hoc admitti debet cùm omnis naturalis potentia omni ſuo conatu in actũ prodeat.* Potentia naturalis omni conatu prodit in actum *Quòd ſi ex parte ipſius ſubiecti recipientis defectus iſte criatur; quòd illud minus perfectè actuetur à propria forma, quàm aliud ab alia; vel talis defectus reperietur in ipſo ſubiecto aliquo modo diſpoſito; ita ut minus perfecta diſpoſitio hũc defectum in ipſo ſubiecto producat; vel erit huiuſcemodi defectus, ex parte ipſius ſubiecti, nulla diſpoſitione præditi; ſed in pura potentia exiſtentis; Si primum. Ergo forma aduenientis huic ſubiecto non dabit ipſi eſſe*

eſſentiale, & ſimpliciter: ſed accidentale, & ſecundum quid; neque ex ipſo, & forma fiet unum per ſe; quia ex duobus exiſtentibus in actu non fit niſi vnum per accidens. Si verò recipitur hæc forma in ſubiecto quacunque forma expoliato, (ut neceſſe eſt fateri) quia eſſe ſimplex debet recipi in ſimplici potentia; tunc nulla poterit aſſignari ratio, per quam defectus iſte huic ſubiecto, & non illi tribui ualeat; cùm eadem ſit ratio vtriuſque; & neutrum ipſorum aliquid proprium ſibi uendicet, per quod aliud magis poſſit formam ſibi aduenientem à propria actione ut ipſum actuet impedire, quàm aliud & confirmatur; ſiquidem, omne quod perfici poteſt, id ſuum appetit perficiens; & ſic materia, & potentia appetunt formam, et actum, tanquam proprias perfectiones; ad quas naturaliter ordinantur. nec aliquid ſuæ perfectioni, & fini proprio repugnare cõſueuit. Et de his hactenus: Per quæ etiam facilè reprobantur, quæ à te dicebantur in tertio notando. Nempe quòd recipere magis, & minus poſſit intelligi propriè, uel non propriè, & propriè dicitur recipere magis, & minus forma illa, quæ ſuccedendo recipitur ab ipſo ſubiecto; nõ propriè uerò illa, quæ perfectius, & minus perfectè ſuũ ſubiectum actuat; & quòd ad hoc vt aliquid recipiat magis, & minus, non requiritur tantum quòd aliquid ſit perfectius, & imperfectius; Sed quòd talis forma tandem poſſit ſuum ſubiectum perficere plus, & minus, & dare eidem diuerſa eſſe ſucceſſiuè. Contra quæ ſic dico.

Quòd tota ratio, quare aliqua forma poſſit dare eſſe magis, uel minus perfectum ſuo ſubiecto eſt hæc. Quia illa à ſubiecto per partem poſt partem ſucceſſiue acquiri poteſt: vnde illa tantum forma poteſt

Ex duobus exiſtentibus in actu fit unum per accidens.

Contra tertium fundamẽtũ Aduerſarij.

Quæ forma poſſit dare eſſe per

poteſt dare eſſe perfectius, & imperfectius alicui ſubiecto; quæ plu res, uel pauciores gradus ſui poteſt ſubiecto præſtare; quod quidem conuenit formis accidentalibus, nō autem eſſentialibus, quæ nequeunt ſecundum aliquos gradus tantum, & non ſecundum omnes ſubiectum ſuum actuare; cùm qualibet ipſarum ſit tota in toto; & tota in qualibet parte ſubiecti; præcipuè Anima humana; quæ cum nō ſolum adhereat corpori per actum informandi; ſed etiam ſibi inhereat tota in toto, & in omnibus partibus; haud fieri poterit, ut hæc minus perfectè ſuum actuet ſubiectum quàm illa; ne in eaſdem incidamus anguſtias, quas tibi in obiectionibus meis contra tuum tertium fundamentum pateſeci; & ſic remanet (ut arbitror) plenè probata ultima illa meæ argumentationis conſequentia à te negata; dum ad formam ipſius reſponderes.

fect:us et imperfectus ſubiecto.

Anima eſt tota in toto corpore.

Vale igitur mi præceptor; meque ut ſoles mutuo amore dilige.

RAPHAEL DOMENICVS ANNIBALI GVASCHO. S. P. D.

DIVINVM Ingenium, & doctrinæ tuæ exuperantiam demiratus, omnia ad eſſe, et eſſentiam pertinentia miſſa faciam: & tantum argumenta ſubtiliſſima difficultatem rei noſtræ tangentia pro uiribus aggrediar. Quapropter ad maiorem primi argumenti reſpondeo cum diſtinctione; videlicet. Quòd eſſe accidens, poteſt bifariam conſiderari; Altero modo; illud, quod eſt extra eſſentiam alicuius, non tamen eſt in genere accidentis. Altero modo; illud quod recipitur in aliquo nouem generum accidentium. In primo ſenſu concedo totum argumentum; ſed nihil ad me. In Secundo nego propoſitionem maiorem; quinimo argumentum tuum optimè

Eſſe accidens poteſt bifariam cōſiderari.

confirmat

confirmat ꝓpoſitionē D. Thomæ de diſtinctione reali, Eſſe ab Eſſentia. Eſſentia enim cùm ſit indifferens ad eſſe, & non eſſe; Eſſe uerò non habeat talem indifferentiam, quia nihil eſt indifferens ad ſe ipſum, ſequitur neceſſaria diſtinctio realis alterius ab altero. Similiter quia eſſentia eſt in potentia ad eſſe, cùm nihil ſit in potentia ad ſe ipſum.

Ad Secundum dicitur; quòd aliud eſt loqui de eſſentia ut eſſentia, quia ſic abſtrahit à differre realiter, & non differre; quod enim conuenit alicui in quantum tale conuenit omnibus, & conueniet eſſentiæ rei; quod eſt falſum; & aliud de eſſentia in genere tali; hoc enim modo eſt uerum quòd eſſe ſubſtantiæ in genere eſt ipſius ſubſtantiæ; & eſſe accidentis in genere accidentis. Et cùm contrà hoc eruditiſſimè inſtas; dicitur; quod eſt in genere reductiue; Et ad huius improbationem; negatur, quod omne reducibile in genere ſit principium intrinſecum, pertinens intrinſicè ad eſſentiam; ſufficit enim, quòd ſit ultima actualitas extrinſeca in tali genere.

Ad argumentum contra Secundum notandum negatur maior tanquam admodum falſa. Ens enim perfectiſſimo modo eſt in Deo; magis imperfecto modo in ſubſtantia creata; & adhuc imperfectiori in accidente, et quia teſtimonio Ariſt: quot modis dicitur unum oppoſitorum dicitur & reliquum; iam liquidò conſtat etiam ipſum non ens recipere magis, & minus; eſt enim aliquod non ens, quod opponitur enti perfectiſſimo, per ſe, infinito, increato; eſt & non ens, quod opponitur enti per ſe, finito, & creato, & non ens oppoſitum enti per accidens. Ad aliud, quod eſt ſubtiliſſimum, dico: Quòd hoc non prouenit, ex parte formæ receptibilis, ut tu optimè probas

Ens non æque perfecte de omnibus dicitur.

Non ens recipit magis & minus.

Hæc propoſitio unum non producit niſi unum eſſe modificandam.

Eſſe exiſtentiæ naturali ſequela ſequitur eſſentiam.

Anima non dat maiores gradus ſui ſed exiſtentiæ ſubiecto.

Anima eſt in toto quo ad eſſentiam, nō quo ad eſſe.

bas; quamuis illa propoſitio. Ab uno in quantū vnum, ſic abſolutè prolata non acceperetur à Theologo; cùm Deus ſit vnus, à quo tamen plura; ſed modificata, ſilicet in his, quæ naturaliter determinantur ad vnum; ſed ex parte recipientis. Et cùm contra hoc ſubtiliſſimè, & erudītiſſimè inſtas. Reſpondetur: Quòd forma recipitur in materia pura. Et cum additur; quòd nulla ratio poterit aſsignari; Negatur. Concludit enim argumentum, quòd cum ex forma, & materia componatur eſſentia, non poterit aſſignari ratio, quare hæc dicatur magis eſſentia, quàm alia, quod ſponte fateor, verùm quia eſſe exiſtentiæ per modum naturalis ſequelæ, ſequitur ipſam eſſentiam compoſitam iam ex materia, & forma; hinc prouenit, quòd iuxta maiorem, vel minorem diſpoſitionem ſequentem ipſam eſſentiam, recipitur perfectius, vel minus perfectè ipſum eſſe exiſtentiæ; & tamen arguitur, veluti ſi ipſum eſſe exiſtentiæ reciperetur in materia pura; & non ſequatur ipſam eſſentiam conſtitutam ex ipſa materia pura, & forma ſubſtantiali; vtpotè eſſentiam ipſius animæ; & per hoc patet, & ad confirmationem, & ad ea quæ ſequuntur, quòd illa forma, dicitur dare eſſe perfectius, & imperfectius alicui ſubſtantiæ, quæ plures, vel paucìores gradus: Nā anima nō dat minores gradus ſui, vel plures; ſed maiores gradus exiſtentiæ conſequentis ipſam eſſentiā, per modū ſequelæ; iuxta maiorē, vel minorē diſpoſitionē recipientis eſſe; et propter hoc ſoluit etiā obiectio illa, quòd anima eſt tota in toto quo ad eſſentiā, nō tn̄ quo ad eſſe in ſenſu iā dato; et ſic remanet deſtructa illa tua conſequentia, à me negata. Hæc ſunt quæ obiter occurrerūt; Et gaudeo me præceptorē ſubtiliſſimū habere, et erudītiſſimū. Vale.

ANNIBAL GVASCHVS

RAPHAELI DOMENICO
Præceptori ſuo amantiſsimo.
S. P. D.

EA Eſt (nunquam ſatis laudate præceptor) ingenij tui vis, & acumen, & doctrinæ facultas, vt cùm in cæteris operibus tuis alios ſuperare ſoleas, in nouiſſimis his tuis ad argumẽtationes meas reſponſionibus te ipſum planè ſuperare videaris; ubi tanta rationũ copia, & aculeis me urges, vt iam ferè mihi adempta ſit reſpirandi poteſtas: adeo ut inter legendum hæc tua, ita me obrutum ſentirẽ, vt res illa, quæ à me pro comperto habebatur; Nullam ſcilicet eſſe animam rationalem re ipſa perfectiorem altera; mihi ipſi in dubiũ reuocari videretur. Sed cùm animum tandem à lectione auertiſſem; cœpiſſemq̀ue mecum in utranque partem rationes cogitare;

priſtinam non potui non retinere ſententiam. inueni enim apud te tā dem aliqua, quæ non aures meas omnino implent. Quamobrem pro iure amicitiæ noſtræ, uelis amabò hæc paucula mihi explicare, quæ me adhuc ſuſpenſum detinent.

Maior primi mei argumenti ita ſe habebat. Quodcunque ita ſe habet ad alterum, vt ipſo remoto alterum non remoueatur; id ſibi accidentaliter conuenit. Ad hæc ſic diſtinguendo dicis. Eſſe accidens dupliciter intelligi poſſe; vel illud, quod eſt extra alicuius eſſentiam, vel quod ponitur in aliquo nouem generum accidentiū: In ſecundo ſenſu negatur propoſitio; In primo conceditur; ſed, ut ais, nihil ad te. Profectò quod nihil ad te attinet, id non nihil ad me pertinet; quamuis in ſecundo ſenſu propoſitionem ſuſtinere eligam. Nequeo enim cogitatione aſſequi, quonam modo poſſit aliquid extra eſſentiam rei eiuſdem generis alicui conuenire; ex quo, & ipſo ſubiecto non fiat vnum omnino per accidens; niſi ſit quiddam additum ipſi rei; vt in diffinitionibus, quæ dantur per additamentum; quod de exiſtentia, & eſſentia, dici non poteſt.

Sed vt propoſitionem noſtram in ſenſu à te negato probemus; ſcilicet, quòd exiſtentia ipſi ſubſtantiæ addita nequaquam ſit in genere ſubſtantiæ, ſed in genere aliquo accidentium contineatur, ſic dicamus. Sed ad quid hæc ratio probatione indiget? cùm iam probata fuerit, & minime adhuc à te ſoluta; dum argumentum illud, in quo ipſa continebatur tibi adſerrem? Dicebam enim (vt ibi videri poteſt) hoc modo. Exiſtentia cùm nihil aliud ſibi velit, quàm preſentiam in tempore eſt accidens. Ergo eſſentiæ accidens erit; quæ à quauis temporis differentia abſtrahit: Sed vt melius hoc conſtet

ſtet ſic inquam dicamus. Hanc exiſtentiam ſubſtantiæ completæ aduenientem (ſi modò ab ipſa eſſentia ex mente D. Thomæ realiter differre debet) in genere quantitatis tibi aſſigno. O ſcelus(inquies) exiſtentiam ſubſtantiæ in genere quantitatis collocare. At videamus nunquid tam graui crimine rationem hanc purgare ualeamus. Quid eſt aliud habere exiſtentiam quàm hîc, & nũc exiſtere? Quid verò aliud eſt tale nunc quàm quædam differentia temporis? Differentiæ autem vbi nam reponendæ ſunt, niſi in genere eius, cuius ſunt differentiæ? Quapropter ſi nunc eſt differentia temporis; tempus autem eſt in genere quantitatis; Quid mirũ, ſi exiſtentiam in genere quantitatis ponendam eſſe cenſeamus? & ſic optimè verum eſt, quòd autumas; per hoc à me confirmari mentem D. Thomæ, de diſtinctione reali eſſentiæ, & exiſtentiæ. Et quis eſt, qui id unquam negauerit? An neſcis, me iam dudum pollicitum fuiſſe, quòd & ſi ſententiam hanc euertendo, poſſum per hoc reſponſiones tuas funditus euertere, nolle tamen huic poſitioni contradicere; minusque hoſtilibus Scotiſtarum armis bellum cum D. Thoma ſuſcipere; cui me ferè omnia in bonis artibus, ac diſciplinis debere fateor. Attamen adducor, ut in ſenſu prius expoſito, intelligendam eſſe D. Thomæ ſententiam facilè putem; ſcilicet, quòd exiſtentia ſubſtantiæ aduenien s ſit in prædicto quantitatis genere; & ſic non immeritò dici debeat, eſſentiam abſtrahere ab exiſtentia, & non exiſtentia, tanquam ſubſtantiam ab accidente; Hoc tamen accidens non conueuit eſſentiæ per ſe, primò ſecundum naturã ipſius abſolutam; ſed vt habet eſſe in ſingularibus; qua de re, cum ſingularia non directè, & per accidens de ipſa eſſentia prædicentur;

Exiſtentia ſubſtantiæ completæ aduenens, eſt in genere quantitatis.

Probatio quod exiſtentia ſit in genere quantitatis.

Singularia indirecte de eſſentia prædicãtur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

tur; homini namque per accidens conuenit eſſe Socratem, vel Platonem; pari ratione per accidens prædicabitur etiam de eſſentia, quid, quid de indiuiduis per ſe primò prædicatur. Itaque cùm exiſtentia hæc, quæ ſignificat rei præſentiam in tempore, quæ particulari naturæ principaliter, & per ſe conuenit, de indiuiduis per ſe prædicetur; de eſſentia quoque per accidens prædicabitur: Quòd ſi quis opinetur, tale eſſe eſſentiæ, in genere ſubſtantiæ contineri, id ſola ratione ab ipſo differre ſuſtinebo. Nihil enim aliud eſt hæc eſſentia ab huiuſmodi eſſe; niſi ipſummet eſſe participatum; non ſecus ac color, qui nihil aliud eſt quàm lumen obſcuratū. Et hinc fit, quòd ſicuti eſſe non abſtrahit ab eſſe, & non eſſe, nec etiam eſſentia à non eſſentia hanc ſecretionem patiatur; ex quo colligitur, quòd ſint vnum inter ſe; per illam propoſitionem; quod quæcunque conueniũt in aliquo tertio, ſunt eadem inter ſe; Tertium autem in quo ambo hæc conueniunt, eſt conditio illa, qua non viciſſim abſtrahuntur.

Exiſtentia per accidens prædicatur de eſſentia

Eſſentia eſt eſſe participatum.

Eſſe & eſſentia conueniunt in quodam tertio.

Sed rationem hanc magis ſolidam aliquantulum faciemus, ſi ſic de ipſa verba fecerimus. Age quæſo; cùm auctores iſtius poſitionis aſſerant (vt rectè noſti) ipſum eſſe participatum eſſe quendã actum, per quem res exiſtit diuerſum ab ipſa forma; Quid reſpondebunt, ſi hoc modo ipſos interrogabimus. Huiuſmodi eſſe à uobis excogitatum, eſt ne ex natura ſua, vel potius aliquo alio indiget, per quem exiſtentiam habeat? Si primum dicunt; Tunc ego. Quo modo poterit quandoque non eſſe; & qua ratione corrumpi debebit ad corruptionem illius, cuius eſt eſſe? Dicant prætereà quid vetabit quin talis actus ex natura ſua exiſtens, non omnem habeat eſſendi plenitudinẽ? & ſic idem ſit, quod primum eſſe; quod ut euitetur,

Probationes quod eſſentia ſit idem quod eſſe.

tur, talem ſibi actum exiſtentem fabricauerunt? Si autem ſecundum prædicta interrogationis partem affirmabunt; talem ſcilicet actum alio indigere, quo extet. Percũctabimur de illo alio; & ſic quæſtio in infinitum excurrens redibit in idem. Quid præterea reſpondebunt de forma ipſa, & eſſentia per ſe ſumpta? erit ne hæc primi illius participatio; an non? Quis autem non eſſe illius participationem dicere audebit? Et ſi ſic eſt; ad quid aliud eſſe exiſtentiæ præter formam excogitant? Et per hæc propulſamus, quæcũque attuliſti aduerſus ſecundum illud meum argumentum; vt exiſtentiam in genere ſubſtantiæ collocandam eſſe ſuſtineres.

Nec minimũ quidẽ huic tuæ ſententiæ illa ſuffragãt opinio, ad quã cõfugis, ut ipſã in genere prædicto ꝑ reductionẽ ponas. Dicis etenim ꝓ hac ratione, ad id qđ in hoc à me ꝓbabãt; ideſt nõ poſſe talem exiſtentiã in genere ſubſtantiæ ꝑ reductionẽ poni, qa nihil in eo reductiuè ponitur, niſi principiũ aliquod ſubſtantiæ internum. Ad hoc inquam dicis; haud quaquam oportere, quòd omne id quod reduci poteſt in genere ſit principium intrinſecum pertinens ad eſſentiam; ob id, quòd ſatis ſuperque ſit hanc exiſtentiam eſſe actualitatem vltimam rei extrinſecam in tali genere. Sed hæc (ni fallor) non parum inter ſe diſſonant. Aut enim talis exiſtentia, quæ per te eſt in genere ſubſtantiæ, & eſt vltima actualitas rei, erit eiuſdem naturæ diuerſarum ſpecierum, aut differentis. Si differentis. Ergo natura non complebitur per formam; ſed hoc inſuper actu indigebit. Si eiuſdem; ens de omnibus ſecundum eandem dicetur rationẽ; quod eſt contra D. Thomam; & a te ipſo in reſponſione ad tertium meum argumentum tanquam monſtrum quoddam habetur; quam-

uis

uis monſtrum hoc ibi pro viribus expolire intendam. Adde quòd eadem erit quarumcunque rerum operatio; cùm vnum, & idem fuerit ipſarum eſſe: ſecundum uulgatiſſimam illam Ariſtotelis ſententiam; quòd Ita ſe habet vnumquodque ad operari ſicuti ad eſſe. Cæterum cùm eſſentia ipſa à tali actualitate denominetur ſibi inhærente; quonam modo ipſi externam dicemus? Cùm hæc eſſentia ab exiſtentia exiſtens nuncùpari debeat?

Item ex hac tua poſitione; operepretium erit cuilibet rei aſſignare duos terminos primos formales; actum uidelicet eſſentiæ; et actũ exiſtentiæ; quinimo in quauis ſubſtantia duæ erunt formæ totales; quarũ una erit ex materia, et forma; altera uerò ex eſſe, et eſſentia cõpoſita: Sed iã hoc ſatis iã euagati ſumus: Pergamus ad reliqua.

Ad tertium illud meum, in quo contra te probabam animam humanam, nec etiam ratione actus iſtius exiſtentiæ, poſſe intendi, aut remitti, ex eo quòd exiſtere, & non exiſtere ita ſe habeant uiciſſim, ſicut ens, & non ens; quæ cùm nequeant magis, et minus recipere, id etiam ſibi vendicabunt, exiſtere, & non exiſtere. negas illam propoſitionem, tanquam (ut ais) pœnitus falſam; videlicet quòd ens, & non ens, nequeant recipere magis, & minus; tum, quia ens perfectius de DEO dicatur, quàm de creatura, de ſubſtantia, quàm de accidente, & de ente per ſe, quàm de ente per accidens; tum etiam cùm eadem ſit ratio oppoſitorum; quòd non minus poterit ens intendi, & remitti, quàm ipſum non ens, quod non æque de omnibus his profertur de quibus dicitur; vt patet de non ente oppoſito enti infinito non creato, & de non ente oppoſito enti creato, & de non ente oppoſito enti per accidens.

dens. *Hic profectò (mi Raphael) me quodammodo laceſſere uideris; ut contra doctrinam D. Thomæ pro Scoto arma capeſſam, ad probandum ens uniuocè prædicari de quibuſcunque dicitur. Sed cùm iam ab initio diſputationis noſtræ decreuerim id, tanquam Scyllam, & Carybdim uitare; reliquum eſt, ut ex tua ipſius reſponſione; & ex doctrina D. Thomæ argumentationis meæ probationem eliciam.*

Ingenuè fateor, quòd eadem (ut inquis) lex eſt oppoſitorum. Quamobrem, ſi conſtiterit non ens haud quaquam magis, et minus recipere; pro comperto habebitur, id etiam enti ut non enti conuenire; quare ſic dico. Quod caret omni forma, quinimo id quod omnino non eſt, nequit alicuius ſubiectum fieri; magis autem, & minus ſunt accidentia. Ergo non ens, quod omni forma caret, & omnino non eſt, magis, & minus non ualebit ſuſcipere. Præterea ex auctoritate D. Thomæ in quæſtionibus diſputatis quæſt: de malo art: 9. Priuatio non poteſt magis, & minus ſuſcipere. Ergo neque etiam id poterit non ens, per argumentum à maiori, ad minus; ſi enim priuatio, quæ eſt minus non ens, quàm pura negatio, id efficere nequit; multò minus de pura negatione dicetur, quale eſt non ens: nec meherc ule uideo quomodo magis, & minus, quæ comparatiua ſunt, ibi locari poſſint, ubi nullum inuenitur poſitiui ueſtigium.

Non ens non ſuſcipit magis & minus.

Priuatio nõ poteſt ſuſcipere magis, & minus.

Ad ea uerò, per quæ dicebam hanc animæ conditionem à te aſſignatam, quòd uidelicet ideò alia dicatur eſſentialiter minus perfecta alia, quia minus perfectè actuet ſuum ſubiectum, non poſſe ſibi cõuenire, nec ex parte ipſius formæ receptibilis, nec etiam ex parte ſubiecti recipientis, cùm unum quatenùs unum, nequeat niſi unũ

pro-

producere; & ſic ex parte ipſius formæ talis defectus oriri non poſſit, cùm ſubiectum capax vtriuſque formæ ſit in pura, & nuda potentia; & ſic nulla poſſit cauſa in ipſo iſtius defectus reperiri, ſic reſpondes. Talem defectum à ſubiecto originem trahere; ex eo, quòd exiſtentia ab anima huic ſubiecto tradita non recipitur in materia nuda, ſed ſequitur naturali ſequela ipſam eſſentiam ex materia, & forma compoſitam: quo fit, vt pro maiori, vel minori diſpoſitione ſequente ipſam eſſentiam ipſum eſſe exiſtentiæ magis, uel minus perfectè recipiatur. Addis inſuper quòd propoſitio illa ſic abſolutè prolata, nempe, quòd vnum in quantum vnum non producat niſi unum, non probatur a Theologo, cùm Deus qui eſt unus, nihilominus plura producat: Sed, modificandam eſſe in his, quæ naturaliter determinãtur ad vnum. Et hæc eſt ſumma vltimæ ſolutionis tuæ.

Contra ſolutionem vltimam. Aduerſarij.

Contra quam in primis eſt dicendum; quòd propoſitum, pro quo propoſitionem hanc in medium protuleram, non me urgebat ad eam circunſcribendam, cùm ibi non eſſet ſermo nec de Deo ſupra naturæ vires agente, nec de agentibus æquiuocis, ſed de naturalibus, & vniuocis agentibus ad unum determinatis; in quibus non me præterit propriè locũ habere propoſitionem iſtam;

De agentibus et æquiuocis uerificatur hoc, quod vnum non producit niſi vnũ.

quãuis etiam in agentibus æquiuocis ſuo modo recipiatur; nam etſi Sol, & Luna, cæteraque Sydera per vnam formam contrarios effectus producunt, poſſumus tamen dicere, quòd per vnum prout vnum, non efficiunt niſi vnum: alia enim ratione, aliaque virtute hunc explicant effectum, & alia illum huic contrarium.

Deus varia producit varia & diuerſa ratione.

neque etiam à Theologo penitus reprobabitur huiuſmodi propoſitio, ſi cautè intelligatur. Quamuis etenim artifex ille diuinus vnus ſit, nec à formis

ſuis

ſuis idealibus realiter differat, ſed ratione tantum, poterit tamen abſque crimine dici, quòd ipſe ſub ea ratione, qua ſe hoc modo huic creaturæ communicabilem intelligit; non niſi hanc creaturam producit; vt quælibet forma creata ab increato illo Archetypo exemplata exemplari proprio conueniat, ne tollatur neceſſitas cauſæ formalis; quod quidem exemplar in mente diuina conſtitutum; & ſi realiter eſt vnum, & idem cum ipſa Dei eſſentia, ratione tamen (vt inquit D. Thomas) vel ex natura rei ſecundum Scotum ab ipſa differre dicetur.

Sed ut ad reſponſionem illam tuam me conferam, per quam aſſeueras defectum vnius formæ reſpectu alterius ex parte ſubiecti modo prædicto oriri; Profectò reſponſio hæc (id pace tua dixerim) proprijs telis lethalia patitur uulnera. Nam ſi ex maiori, vel minori diſpoſitione ipſius eſſentiæ, ex materia, & forma conſtitutæ, oritur perfectior, aut minus perfecta exiſtentia, nonne vides diſpoſitionem hanc ſubſequi rem in eſſe conſtitutam; & hanc tuam exiſtentiam antecedere? Quòd ſi hæc diſpoſitio ordine à te ipſo aſſignato anteit hanc exiſtentiam, eſt accidens ipſi eſſentiæ aduenìens; quia non eſt de eius eſſentia. Quis eſt igitur, qui inficiari poſſit, exiſtentiam hæc rei aduenientem, non eſſe quoddam accidens ex nouem accidentium generibus; cùm non modo adueniat ipſi eſſentiæ in eſſe conſtitutæ per eſſentialia ſua principia, ſed inſuper iam diſpoſitæ per accidentalem qualitatem; qualis eſt hæc tua diſpoſitio? quæ non niſi in primo genere qualitatis reponi poteſt? & tamen id pœnitus à te negatur; quippe, quòd hæc exiſtentia ipſius ſubſtantiæ, ſit aliquod accidens, ex his, quæ in nouem ge-

Contra rationē aduerſarij quod ſecundum diſpoſitiones ſubiectorum uarietur exiſtentia eorum.

neribus coercentur.

Præterea hæc naturalis ſequela iſtius exiſtentiæ ad eſſentiam, aut erit paſſio ipſius eſſentiæ, aut non; Si primum non erit in genere eſſentiæ, vt tu ſubijcere videris; quia auctore D. Thoma paſſio ſubſtantiæ differt non ſolum realiter, ſed etiã genere ab ipſa ſubſtantia, cùm ſit in genere qualitatis; ſi autem non eſt paſſio ipſius eſſentiæ; cùm non ſit de eius intrinſeca ratione ab ipſa ſeparari poterit; & ſic non erit ſibi ex naturali ſequela coniuncta.

Paſſio ſubſtantiæ differt a ſubſtantia genere

Præterea ſi hæc exiſtentia naturali ſequela adiungitur ipſi eſſentiæ: Ergo eſſentia non abſtrahit ab exiſtentia, & non exiſtentia, quod à te ipſo dicebatur, dum differentiam realem inter hæc ſuſtineres; quod enim alicui naturaliter ſequitur ab eo inſeparabile dicitur.

Item quamuis verum eſſet quòd per formam (vt tu exiſtimas) magis, vel minus ſubiecto participaretur de tali exiſtentia; pro maiori; vel minori eius diſpoſitione; Quid ad formam? Nonne agens debet diſtingui à patiente? & actio in patiente recipi, non autem in agente? Et ſi forſitam hic diceres, quòd forma non eſt agens; ſed id quo agens agit; tibi reſpondebo ex doctrina D Thomæ, in quæſt diſpu: quæſt. 2. de malo artic: 11. in corpore; quòd tot modis impropriè dicitur agere illud, quo agens agit; quot agens agere propriè dicitur. Quapropter Anima, quæ, ut forma maiorem vel minorem exiſtentiam ſecundum tuam poſitionem ſubiecto tribuit, per hoc minime poterit perfectior, aut minus perfecta dici; cùm ex actione hac ipſius animæ nihil in ipſa anima recipiatur.

Quot modis agẽs propriè dicitur agere tot etiam dicitur impropriè agere quo agens agit.

Adde,

Adde, quòd ſi hæc exiſtentia ex naturali ſequela Animæ eſſentiæ conueniet, non erit ſibi caſu aſſignanda; Sed ſi per varias, & varias diſpoſitiones ſubiectorum, quæ in infinitum excurrere poſſunt, & præter intentionem ipſius naturæ particularis, de qua hic eſt ſermo, hæc naturalis tuæ eſſentiæ ſequela varietati erit obnoxia; iam non ampliùs naturalis ſed caſualis fiet; Et ſi dicatur, quòd et ſi ipſi naturæ particulari præter intentionem euenit hæc varia diſpoſitio ſubiecti; non tamen id agenti vniuerſali, & diuinò, opifici omnium rerum conuenit; cui nihil non intentum accidere poteſt; & à quo anima noſtra ſine medio, ex nihilo producitur. Tūc contra: Licet in agentibus naturalibus cauſæ ſint inuicem cauſæ; & in his, ordine temporis materia antecedat formam, quæ quidem materiam diſpoſitam ſequitur, tamen ordine naturæ materiam forma præcedit; cùm materia ſit propter formam: & non è contrario; quippe cùm minus dignum, & medium ſemper ordinetur ad magis dignum, & ad finem: Igitur cùm ordo naturæ particularis ſit quædam imago, & exemplum vniuerſalis ordinis in mente diuina ab æterno diſpoſiti; pari ratione materia in quàm producit ipſe Deus Animam, erit ab ipſo ſub hac diſpoſitione ad Animam hanc tanquam formam corporis producendam ordinata, & ſic nō erit dicendum, quòd tali forma conueniat naturali ſequela exiſtentia requiſita ad diſpoſitionem corporis, quod ordine ipſo naturali eſt anima poſterius; vt ex prædictis conſtat. Quinimo hæc ratio concludet, quòd anima iſta ſit à Deo producta minus perfecta quàm illa, per principia propria, intrinſeca; quod eſſe non poterit, niſi inter ſe differant ſpecie; cùm ab ipſo ordinatæ ſint ac conceptæ

Forma ordine naturæ præcedit materiam.

Ordo Naturæ particularis eſt exemplum ordinis uniuerſalis.

E ij diſpo-

diſpoſitiones minus perfectè in hoc corpore, quàm in illo; ad imperfectiorem animam in ipſo quàm in alio producendam. Ad hæc: Nulla priuatio poteſt naturali ſequela eſſentiam rei conſequi; ſed defectus iſte exiſtentiæ in hoc ſubiecto inuentus, & non in illo, eſt quædam priuatio perfectionis debitæ. Ergo non poterit eſſentiam naturali ſequela comitari.

Videas igitur doctiſſimè vir nunquid illa mea conſequentia ſit (vt ais) rationibus tuis deſtructa, an potius reſtet ad huc diſſoluendus nodus. Reliquum eſt, vt valeas: & Annibalem tuum diligas.

RAPHAEL DOMENICVS ANNIBALI GVASCHO.

S. P. D.

TAnta eſt altidudo, & ſublimitas ingenij tui, vt verba Annibalis in Marcellum prolata; ideſt Cum eo hoſte res nobis eſt; qui nec victor nec victus quieſcere poteſt; in te adamuſſim retorqueri poſſint; cùm & diſtinctiones, & reſponſiones, & alia à me; doctiſſimis, & ſubtiliſſimis rationibus tuis aſſignatas potentiſſimo conatu effringere nitaris; Et primo diſtinctioni à me datæ argumento primo accerimè inſtas; non poſſe ſimul ſtare quòd aliquid conueniat alicui extra eſſentiam, & non ſit accidens, cùm ei ſit quiddam additum.

Eſſe per accidēs varijs modis accipitur.

Ad hoc dico. Quòd eſſe per accidens accipitur aliquando, ut

opponitur

opponitur ei quod eſt per ſe; excludendo cauſam agentem; & ſic omnis creatura eſt ens per accidens; ideſt non per ſe habens eſſe, ſed à Deo effectiuè; aliquando excludit materiam, & ſic ſubſtantiæ ſeparatæ non ſunt per accidens: ideſt non ſunt per materiam, ſed per ſe: aliquando excludit ſubiectum: et ſic omnis ſubſtantia eſt ens per ſe, & non per accidens; aliquando excludit cauſam formalem; & ſic nulla creatura eſt ens per ſe, ſed per accidens, id eſt per aliud; hoc eſt; dictum per ipſum eſſe, prout dicitur exiſtens; non tamen eſt per accidens; cui opponatur ens in prædicamẽto ſubſtantiæ. Ad hoc enim quòd aliquid dicatur per accidens, vt opponitur prædicamento ſubſtantiæ ſeu enti per ſe, requiritur, quòd tale per accidens dicat aggregatum ex rebus diuerſorum generum; quod non contingit in propoſito de eſſe, & eſſentia, cùm eſſentia, & ipſa exiſtentia, ſint in eodem genere. Si ergo illud additum ſit res alterius generis, tale agregatum erit ens per accidens, non autem ſi ſit eiuſdem generis, vt hîc.

Reſponſio ad argumentum Aduerſarij quòd exiſtentia ſit præſentia in tempore.

Ad aliud; quòd exiſtentia ſit preſens in tempore; argumentum fert ſecum ſolutionem manifeſtam; ideo intactum dimiſi: Dum enim inquis præſens in tempore, & non temporis, iam patet non pertinere ad tempus; & conſequenter ad accidens, quia nil aliud videtur eſſe, niſi præſentia ſubſtantiæ in tempore.

Solutio argumẽti Aduerſarij quòd exiſtentia ſit in genere quantitatis.

Ad aſſignationem autem exiſtentiæ, in genere quantitatis, ſcilicet hîc, & nunc; dicitur quòd ly hîc, & nunc non prædicatur de exiſtentia in tranſitiuè, ita quòd exiſtentia ſit hîc; vel nunc temporis, uel loci, ſed tranſitiuè, id eſt: quòd exiſtentia eſt in hoc tpe, vel loco. Sed & Sortes quoque hoc pacto eſt hîc, & nunc. Verũ

quis

quis nam poneret eum in prædicamẽto quantitatis? Et cùm inquis, exiſtentia prædicabitur de eſſentia per accidens; Satisfacio; dicendo; Quòd eſſe tale per accidens eſt, ſicut id quod eſt extra eſſentiam rei, non tamen in alieno genere ab ea, ſicut & inferiora reſpectu ſuperiorum in genere ſubſtantiæ. Verum, vt vnico verbo ſatisfiat obiectioni; dico. Per accidens eſſe duplex, ſcilicet repertum in aliquo nouem generum; et ſic nego ipſam exiſtentiam eſſe aliquo modo per accidens. Secundum verò eſt accidens prout eſt quintum prædicabile; et ſic dico ſubſtantiam ipſam eſſe accidens, ut manifeſtè patet, quòd inferiora in genere ſubſtantiæ ſunt accidentia reſpectu ſuperiorum, nihil. Ergo impedit ipſum eſſe reſpectu diuerſorum eſſe, vel dici ſubſtantiam, vel accidens.

Per accidens eſt duplex.

Quantum verò ad diſtinctionem rationis ipſius eſſentiæ ab eſſe, nego nil aliud eſſe hanc eſſentiam ab huiuſmodi eſſe, niſi ipſum eſſe participatum; eſſe enim non participat eſſe, ſed eſſentiam. Similiter nego ſimilitudinem de colore: eſſentia enim licet ſit actus, quia tamen ſibi ſola non ſufficit, ad hoc vt ſit in actu, eſt tamen potentia in reſpectu ad eſſe; ita quòd eſſe, et eſſentia differunt ſicut potentia, & actus; quod non accidit colori;

Reſponſio ad argumenta aduerſarij eſſentiam idem eſſe quod eſſe participat.

Ad propoſitionem verò illam: Quæcunque conueniunt in tertio, dico. Quòd ſunt vnum, ratione illius tertij, non tamen inter ſe; Eſſentia enim, & eſſe ſunt vnum in ente, non tamen inter ſe; quinimo oppoſitæ ſpecies ſunt unum in genere, non tamen inter ſe. Et ſic nego conditionem illam abſtrahendi eſſe tertium, in quo conueniant illa duo, ſcilicet, eſſentia & eſſe.

Eſſentia & eſſe ſunt unum in ente ſed non inter ſe.

Ad firmiorem autem doctrinam dicitur; quòd eſſe, non habet

Eſſe nil aliud eſt niſi id quo res exiſtit.

bet eſſe; nec participat eſſe; nec eſt; nec corrumpitur; nec habet exiſtentiam; ſed ſequitur eſſentiam; & eſt id quo alia exiſtunt; & ſicut albedo in ſua ratione non eſt alba, ſed eſt id quo alia ſunt alba, & eſſentia extra cauſas ſuas poſita deſinit, aut incipit participare ipſum eſſe. Et per hoc refelluntur quæcunque à te diſputandi potius gratia, & veritatis indagandæ quàm quòd res ita ſe habeat adducuntur.

Eſſe eſt ſequens omnem naturã extra cauſas ſuas.

Ad illud autem, quod eſt contra reſponſionem meam; qua aſſeuero; non requiri omne quod reponitur in genere eſſe intrinſecum &c. Dico, quòd eſſe non eſt eiuſdem naturæ, nec diuerſarum; nec eſt natura; nec habens naturam; nec eſt quid exiſtens; ſed eſt ſequẽs omnem naturam, extra cauſas ſuas exiſtentem: & id quo alia natura exiſtant. Nec ſequitur aliquod incommodum de operationibus; quia operatio diſtinguitur à proprio eſſe. Nec propoſitio Ariſt. redditur falſa, qua dicitur, vnum quodque ſicut ſe habet ad operari, &c. Nam ſenſus illius propoſitionis eſt; quòd operari ſequitur eſſe; & fundatur in illo non tamen tanquam operationis principium.

Eſſentia non denominat' ab eſſe

Ad aliud autẽ de denominatione dicitur; Quòd eſſentia non denominatur ab eſſe, ſed dicitur exiſtere pro eſſe; ſicut homo non denominatur ab albedine, licet homo albus nominetur aliquo modo.

Solutio argumenti Aduerſarij, de duobus terminis totalibus.

Ad illud verò de duobus terminis totalibus. negatur conſequẽtia; nam ſunt diuerſimode termini; Forma enim eſt terminus quo, quatenus eſt principium terminans productionem; eſſe verò terminus quo, tanquam formalis terminatio; fluens à forma.

Solutio argumẽti aduerſarij de duabus formis totalibus.

Ad aliud de formis totalibus; dicitur, quòd ex eſſe & eſſentia non oritur tertium ex his, ſicut ex forma, & materia; ſed eſt vltima actualitas

rei,

rei, ſine qua realitas ipſa non terminaret generationem, niſi ſubtracta actui, qui eſt eſſe.

Ad obiectionem autem quæ eſt contra reſponſionem meam tertio argumento aſſignatam, de ſuſcipere magis, & minus; conceſſa maiore ad bonum ſenſum, nego minorem; quia eſſe perfectius, & minus perfectè, ſeu ſuſcipere, magis, & minus reperitur in ipſa ſubſtantia quæ non eſt accidens. Sed ſi fiat vis in verbis, dicitur; Quòd accidentia ſunt duplicia, ſcilicet poſitiua, & priuatiua: Ad auctoritatem. D. Thomæ dicitur; quòd ipſe negat priuationem ſuſcipere magis, & minus per ſe; ac ſi priuatio eſſet natura quædam poſitiua; non tamen negat per accidens; ſcilicet ad ſuſcipere magis, & minus ſui oppoſiti; Nec ſunt in non ente comparatiua per ſe, ut ſuſcipiant magis, & minus; tanquam daretur aliquid minus in hilo; Sed per reſpectum ad ſuum oppoſitum poſitiuum; vt dictum eſt.

Solutio obiectionis Aduerſarij, contra reſponſionem tertij argumenti.

Priuatio non ſuſcipit magis, & minus per ſe, ſed per accidẽs.

Ad illud verò de vno perinde ac vno; &c. Etſi ſententia tua vera ſit in multis; in vno tamen videtur implicare contradictionem, dicendo. Cælum, & Sydera per vnam formam poſſunt contraria producere; & quòd per vnum in quantum unum efficiatur vnum; cùm contrarij effectus non poſſint eſſe vnum, prout unum; loquendo numeraliter; vt in ſubiecta materia loquimur; ſi argumẽtum intendere debeat propoſitum; nam datur vnum numero, ſpecie, genere. Similiter eſt de Deo, ſi effectus accipiantur diuerſi numero.

Vnum quatenus unum producit tantum unum.

Ad aliud de diſpoſitione; quòd pace mea affers, reſpondeo, Quòd aſpicio exiſtentiam ſequi eſſentiã ipſam completam; & con-

cedo eam eſſe accidens: quia eſt extra ipſam completam; non tamen in genere accidentium, vel quod recipiatur in maiori, vel minori diſpoſitione ſubiecti: quia eſſe non recipitur, nec eſt in anima, nec in eſſentia, nec in ſubiecto, nec in diſpoſitione; ſed eſt naturalis quædam fluxio ſequens formam, qua exiſtunt, quæcunque exiſtunt. Et ſicubi inueniatur, quòd eſſe creaturæ receptum ſit, non dicitur receptum, tanquam accidens in aliquo ſubiecto; ſed dicitur determinatio ad naturam alicuius entis, ſeu prædicamenti, & finitum; quo quidem modo eſſe Dei dicitur, eſſe minime receptũ. Quapropter eſſe non recipitur in diſpoſitione maiori, vel minori ſubiecti; Sed ſequitur maiorem, vel minorem diſpoſitionem: cùm ipſum eſſe (vt dictum) non ſit natura aliqua, quæ recipi poſſit. Nec etiã eſt paſſio, ſed eſt fluxio quædam, ſequens neceſſariò ipſam formam exiſtentem actu extra cauſas ſuas; Et concedo ipſum eſſe ſeparabile ab eſſentia, vt eſſentia eſt; non tamen ut actu exiſtit; cùm omne quod eſt, dum eſt, neceſſe ſit eſſe. nec quòd eſſentia abſtrahat ab exiſtentia, & non exiſtentia eſt contra me aliquando.

Eſſe eſt naturalis fluxio ſequẽs formam.

Eſſe creaturæ receptum dicit determinatio ad aliquam naturam.

Eſſe eſt ſeparabile ab eſſentia non tamen ut ipſa exiſtit actu.

Ad alıud dicitur, quòd nec anima dicitur perfectior, nec minus perfecta quatenus ad eſſentiam; ſed quatenus ad eſſe ut dictũ; quia ſubiectum minus diſpoſitum, minus participat ipſum; quod quidem dicitur prædicatum non accidentale, vt ſæpius dictum eſt. Concedo quoque ipſum eſſe varietati obnoxium, cum ſequatur diſpoſitionem indiuiduorum; indiuidua autem ab arte relinquuntur, non autem tanquam ſubiectum varietatis; Admitto quoque datam reſponſionem tuam; Et ad improbationem dicitur; quòd eſt ab vtroque. A Deo quidem, quia prima cauſa magis influit; à natura,

Anima dicitur perfectior quo ad eſſe ſed non quo ad eſſentiã

tura, quia prima cauſa nõ neceſſitat ſecundas. Effectus autem immediatè attribuitur cauſæ propinquæ, ſi eſt vera cauſa.

Ad vltimum dicitur; quòd priuatio cùm ſit inter principia naturalia enumerata natura uerò reperiatur in omni habente naturam, negatur maior propoſitio. Et ſic reſtat ſolida ſententia D. Thomæ. & valeas ac me non amplius præceptorem, ſed vt diſcipulum tuum diligas.

ANNIBAL GVASCHVS

RAPHAELI DOMENICO

Præceptori ſuo amantiſsimo.

S. P. D.

TAM Argutè (celeberrime præceptor) tutatus es poſitionẽ iſtam D. Thomæ, præſertim in hoc poſtremo congreſſu, vt vix mihi exploratam ſit, an eximius ille ipſiusmet poſitionis auctor ſuã poſſet, ſi adhuc ſupereſſet cauſam vehementius agere. Quamobrem, aut victor, aut victus iam tandem quieſcere decreui; & tibi (vt æquum eſt) vltrò herbam porrigere. Nequeo tamen te certiorem non reddere, quòd in reſponſione tua ad meam illam fortaſſe inauditam ſententiam, per quam exiſtentiam in genere quantitatis tibi aſſignaueram, te ipſum in laqueum illum inieciſti, in quo ſuſpicabar; dum huiuſmodi eſcam oculis tuis ſubijcerem; con

ceſſo enim quòd pœnitus falſum illud ſit; quòd tibi verißimum demonſtrare conarer, ſi res ulterius protrahenda foret; Nihilominus per rationem à te in hoc allatam, exiſtentiam omnino à genere ſubſtantiæ ſegregas; quam in eo totis viribus retinere ſtudes. Dicis enim; quòd hîc, & nunc prædicantur tranſitiuè non autem intranſitiuè de ſubſtantia; ita quod exiſtentia eſt hîc, & nunc; ideſt in loco, & in tempore, non autem eſt hîc & nunc, quæ ſunt differentiæ temporis, & loci; Quod ſi ita ſe habet, exiſtentia hæc tua à genere ſubſtantiæ in genus relationis transfertur: nihil enim aliud ex ſolutione hac tua colligitur, quàm quòd hæc exiſtentia ſit quidã reſpectus medius inter rem exiſtentem, & tempus ipſum, ac locum; in quibus exiſtit; adeò vt exiſtentia rerum corruptibilium; ſit relatio inter ipſas, & tempus reſiliens: incorruptibilium verò ſubſtantiarum exiſtentia reſpectus ſit inter eas, & æuum, à quo dimetiuntur. Hanc igitur quæſo ad huc mihi difficultatem auferas; & ſic rei noſtræ extrema ponatur manus Vale, & diſcipulum tuum tibi deuinctißimum dilige.

RAPHAEL DOMENICVS ANNIBALI GVASCHO.

S. P. D.

VNAM (inquis) inter cæteras reſponſiones meas doctiſſimis, & ſubtiliſſimis rationibus tuis aſſignatas ſcrupulum tibi non paruum afferre; dum videor exiſtentiam à genere ſubſtantiæ abducere et ponere medium reſpectum inter rem exiſtentem, & locum, & tempus.

Exiſtentia ſubſtantiæ eſt in genere ſubſtantiæ et accidentis in genere accidentis.

Dico primò ipſam exiſtentiam ſubſtantiæ eſſe in genere ſubſtantiæ, & exiſtentiam accidentis in genere accidentis: ita quòd; exiſtentia loci, & temporis, & relationis, ſiue identificetur ſuo fundamento, ſiue non, & cuiuſlibet alterius accidentis, eſt differens realiter ab ipſa eſſentia; nec pono ipſam medium reſpectum quandoque:

dæque; quia exiſtentia non eſt reſpectiuum quid; neque abſolutum, nec medium aliquo modo, nec vltimum, aut primum ſui, vel alterius, tanquam quod; ſed eſt quo; & tempus, & locus, & relatio, & cætera tam ſubſtantialia, quàm accidentalia exiſtunt; ſcilicet formalitas, & actualitas vltima rei,

Dico Secundò quòd Sortes eſt hîc, & nunc, tranſitiuè; & tamen conſtat Sortem non eſſe medium, inter rem exiſtentem, & tẽpus, & locum. Dico Tertiò quòd de ipſa exiſtentia non poteſt formari propoſitio de ſecundo adiacente, aut tertio propriè; ſed impropriè; admodum negationum, & priuationum; non dico exiſtentiam eſſe negationem, aut priuationem; quia ſcio ipſam eſſe ens; ſed ex hoc, quod non eſt creator, nec propriè creatura ſed quid concreatũ; Ideo abſolutè non poteſt dici, quod hîc & nunc prædicentur de exiſtentia intranſitiuè, ſed tranſitiuè, ex eo quòd non eſt propriè, ſed impropriè, ex hoc enim quòd albedo eſt qua aliquid eſt album; & ipſa non eſt alba; ita exiſtentia eſt; quia res eſt hîc, & nunc, non tamen ipſa eſt hîc & nunc; nec propterea erit relatio aut in genere vbi aut in genere quantitatis. Hæc volui dixiſſe pro ſolutione huius, & ſic optime Valeas.

Exiſtentia eſt vltima actualitas rei.

Exiſtentia eſt quid concreatũ

ADDITIO

ANNIBALIS GVASCHI

AD QVAESTIONEM PRAECEDENTEM INTER *IPSVM ET RAPHAELEM DOMENICVM*

agitatam; per quam demonſtratur falſò illam concluſionem D. Thomæ adſcribi de inæqualitate animarum rationaliũ à quibuſdam, quorum rationes ex Doctrina D. Thomæ, & Ariſt. exagitãtur.

CVM In illo congreſſu inter me, & Raphaelem Domenicum, ſacræ Theologiæ profeſſorem, & omni doctrina præditum; de natura humanæ animæ pro viribus illi ſim refragatus ſentẽtiæ, quam nonnulli D. Thomæ ſectatores, viri alioquin grauiſſimi, ipſi adſcribũt; ſi fas eſt anſerem inter tot olores perſtrepere; cogor dicere; quòd uix mihi perſuadere poſſum, Angelicum illum, inter cæteros doctores doctiſſimum, tale de hac re habuiſſe iudicium, nempe animarum rationalium

tionalium eſſe ex ſua natura, & ut Aduerſarius meus, ex mente D. Thomæ ſuſtinebat, eſſentialiter alteram altera perfectiorẽ; nam liquidò conſtat, coniecturam hanc peripateticis rationibus, necnon Ariſt. ipſius auctoritatibus oppugnare, quarum D. Thomas ſe ſtudioſiſſimum præbuit, in ijs quæ catholicæ fidei non aduerſantur; ut omittam, quòd ſententia hæc doctrinæ eiuſdem Sancti Doctoris ex diametro repugnare cognoſcitur. Quare non potui quin & pauca quædam iam agitatæ quæſtioni ſubiungerem; & quid ipſe de hac re ex mente D Thomæ ſentiam; tum verba, quæ apud ipſum de hac materia leguntur, quomodo intelligenda eſſe exiſtimem patefacerem. Is igitur erit ordo, Primò docebimus hanc concluſionem eſſe contra ipſius D. Thomæ principia; quod eius auctoritatibus probabitur. Secundò ex rationibus peripateticis id repugnare veritati demonſtrabitur. Tertiò confirmabitur per Ariſt. teſtimonium; falſam eſſe huiuſmodi poſitionem. Quartò eorum ſententiã refellere, & fundamenta; qui id nomine D. Thomæ ſuſtinent, euertere conabimur. Quintò ipſorum ſolutiones ad argumẽta, quæ ab alijs in hac re contra ipſos allata erãt impugnare ſtudebimus. Poſtremò loca D. Thomæ aggrediemur; ubi ipſe id ſibi uelle videtur; et dabimus operam explicandi, non ita eſſe intelligenda illius verba, ut illis placuit.

Ordo ab auctore ſeruandus.

Hæc eſt rationis noſtræ radix. Si inter animas humanas altera eſſet perfectior, & imperfectior altera, animæ humanæ reciperent magis, & minus. Sequela probatur ex 7. Phy. text. 29. ubi dicitur; quòd ꝓpria cõparatio ſecũdũ magis, et minus eſt eorũ, quæ participant vnam formam ſecundum ſpeciẽ, ſed ſecũdum alium

gra-

gradum; quadere, ſi ordine ꝓpoſito ſequelã hanc falſam eſſe conſti terit: Antecedens etiã ipſum corruet, quæ eſt concluſio impugnanda.

Quis ignorat D. Thomam hoc ſibi principium tanquam certiſſimum conſtituiſſe, nullam poſſe ex formis ſubſtantialibus, qualis eſt anima rationalis, intendi atque remitti, magiſque & minus ſuſcipere? Tres enim ſunt de hac re præcipue opiniones.

Prima eſt Auer. qui in libro tertio cœli com: 67. ſuſtinet elemẽtorum formas tantum, non autem formas ſubſtantiales intendi, remittique poſſe; hac ratione adductus; quòd formæ elementorum inter cæteras formas ſubſtantiales reſpectu aliarum imperfectæ ſunt tanquam magis proximæ primæ materiæ, quam ipſemet Ariſt. quodammodo non ens appellauit; & ſic Auer. medias eſſe exiſtimat inter ſubſtantiam, et accidens. Quo fit, ut ſicut accidentia poſſunt intendi, & remitti, huic etiam legi formæ elementorũ ſint obnoxiæ; quam tamen Auer: rationem D. Thomas in ſecundo de ortu, & interitu, hoc modo exagitat. Quòd ſi formæ elementorum eſſent mediæ inter ſubſtantiam, & accidens, medium eſſet inter contradictoria; nec fieri poteſt, ut, quæ diuerſiſſima ſunt, genere ut ſunt accidens, & ſubſtantia, medium habeant.

Auer: opinio de intenſione, et remiſſione formarum ſubſtantialium.

D. Thomæ rationes contra Auer. de intenſione, & remiſſione formarum.

Alia eſt Scoti, & eius diſcipulorum ſententia lib. 12. Met. quòd omnes formæ præter animam rationalem, magis, & minus ſuſcipere ualeant; quam opinionem, ferè omnes D. Thomæ ſectatores pluribus argumentis ſolent refellere; Quare nil eſt quòd in hoc ipſe tempus conteram; ſed ſat eſt in hoc pro re noſtra dicere; Quòd etiã Scotus, & alij, qui huic opinioni aſſentiuntur, quamuis cæteras formas ſubſtantiales intendi, remittique poſſe opinentur, animam tã-

Scoti opinio de intenſione et remiſſione formarum.

men rationalem ab hac conditione ſegregant; hoc enim eius dignitati derogare exiſtimant; admiſſo enim, quòd ſecundum Scotum aliæ formæ ſubſtantiales ſuſciperent magis, & minus; id tamen anima rationali indignum eſſet; quia poſſe intendi, et remitti denotat quãdam iperfectionem actus, ſatis admixti potentiæ. Quamobrem cùm anima ſit nobiliſſima, & prima inter formas receptas in materiam, adeò vt quamuis ſecundum actum informandi, non tamen ſecundum eſſe, ab ipſa materia dependeat; id iure merito ſupra cæteras formas ſubſtantiales in materiam receptas ſibi vendicaret.

D. Thomæ opinio de intenſione, & remiſſione formarum ſubſtantialium.

Tertia eſt D. Thomæ opinio, quæ ab vtraque iſtarum maxime diſtat; Ipſe enim nullam excipit formarum ſubſtantialium ab hac non recipiendi magis, & minus, conditione; & ideo in prima. p. q. 76. art. 4. ad quartum reprehendit opinionem Auerrois præallegatam, qui poſuit formas elementares propter ſui imperfectionem medias inter formas accidentales, & ſubſtantiales; & præterea voluit ipſas recipere magis, & minus, & poſtea ſuam affert ſententiam dicendo. Eſſe ſubſtantiale cuiuſlibet rei in indiuiſibili conſiſtit; & omnis additio, & ſubtractio variat ſpeciem, ſicut in numeris, vt dicitur. 8. Meta: vnde impoſſibile eſt, quòd forma ſubſtantialis quæcunque recipiat magis, & minus; nec minus eſt impoſſibile aliquid eſſe medium, inter ſubſtantiam, & accidens. Hæc D. Thomas. Qui etiam quæſt. 93. art 3. ad tertium in eadem prima parte inquit. Cùm dicitur, quòd ſubſtantia non recipit magis, & minus, non intelligitur quòd vna ſpecies ſubſtantiæ non ſit perfectior quàm alia; ſed quòd vnum, & idem indiuiduum non participet ſuam ſpeciem quandoque magis, quandoque minus; nec etiam

à diuerſis

à diuerſis indiuiduis participatur Species ſubſtantiæ ſecundum ma "
gis, & minus. Sed ad quid uerba, & loca D Thomæ recenſcere, "
vbi ſe hanc opinionem habere teſtatur? cùm vnus quiſque id apud ipſum in locis innumeris videre poſſit? vt præter ea, quæ à me in prima ipſius ſacræ Theologiæ parte recitata ſunt, in eadem reperitur. q. 110. art. 2. ad ſecundum & 12. q. 52 art. 1. cor. | tertia q. 75. art. 7. cor. | prima. q. 3. art. 9. ad nonum. 12. cor. | Me. q. 7. ar. 2. ad quartum | Vir. q. 1. 11. cor. | q. 5. art 3. cor. | Trin. 11. ad ſextum | Ani q. ad decimum. | Quol. 16. ad tertium | opuſc. 3. c. 92. | opuſc. 33. | Met. 11 lect. 12. prin.

Nec modò D. Thomas omnino ab hac ſententia alienus fuit, nempe formas ſubſtantiales, nec magis, nec minus ſuſcipere; ſed nec etiã voluit formas accidentales poſſe gradum poſt gradum recipere, reſpectu earum naturarum; ſed tantum poſſe magis, & minus radicari in ſubiecto; & hoc modo verum eſſe ipſas intendi, & remitti; vt patet apud ipſum prima ſecundæ. q 52. art. 1. & ſecunda ſecundæ. q 24. art. 5. in quibus locis tam clarè, & exactè rem hanc determinat, vt vnicuique eius mens, & veritas manifeſtari poſſit.

Quamobrem cùm ex ipſius D. Thomæ doctrina cognitum ſit haud quaquam poſſe ſubſtantias magis, & minus ſuſcipere; qui hoc ipſi imponere voluerit; nempe, quòd animas eiuſdem Speciei, inter ſe inæquales exiſtimauerit; huic etiam neceſſe erit fateri, Angelicum illum doctorem in hac re ſibimet contradicere: quod de tanto, & tam eximio viro, in re tam graui ſcelus eſſet ſuſpicari.

Rationes Peripateticæ cõtra poſitionem de inæqualitate animarum.

Quòd verò rationes Peripateticæ contra hanc D. Thomæ ad ſcriptam

ſcriptam opinionem clamitent, ideſt, quòd Animæ humanæ, ſubſtantialium formarum in materiam receptarum nobiliſſimæ, magis, & minus ſuſcipere valeant, tam apertum eſt, ut probatione non indigeat. Nam ſi forma ſubſtantialis intendi, & remitti poteſt, ipſa cum motu inducetur, & cum motu deſinet; & ſic contra Peripatetica dogmata motus erit in ſubſtantia; calor enim, cæteræque qualitates, ob id cum motu inducuntur, quia certis gradibus intendi poſſunt; nec de hoc alia aſſignari poterit ratio.

Præterea, ſi forma ſubſtantialis poſſet intendi, & remitti, utique duæ formæ eſſent ſimul, nunquam enim calor remittitur, niſi cũ forma oppoſita coniungatur; nec ſimiliter albedo ſine nigredine. Et ſic una forma ſubſtantialis reperietur ſimul cum altera in eadem materia, ex quibus fiet unum per accidens, & non unum per ſe.

Rurſus, ubi non eſt contrarietas, non eſt magis, & minus in his, quæ oppoſitionem habent poſitiuam; videlicet, cùm ſint duæ formæ, quæ ſimul eſſe non poſſunt, niſi ſint contrariæ. At in ſubſtantijs non eſt contrarietas, ſaltem in animatis, & mixtis: non ergo in his eſt magis, & minus. Plura alia poſſem argumenta ex principijs Peripateticorum colligere; ex quibus probarem, haud quaquã poſſe ſubſtantiam gradus intenſos, & remiſſos recipere, ſed, hæc mihi ſatis ſuperque ſint.

Ariſt. Auctoritates contra inæqualitatem formarum ſubſtantialium.

Si quis autem uelit in hoc Ariſt. libros conſulere; videat eius uerba in prædicamentis, cap. de Subſtantia; tex. 5. fruſtra enim eſſet ipſa hîc tranſcribere. Videat ipſum in 8. Metaphiſices text. 10. ubi inquit. „ Quòd ſpecies rerum ſunt ſicut numeri, in quibus „ additio, uel diminutio uariat ſpeciem. Ulterius, ipſemet Ariſtoteles

les 3. Metaphiſices tex. 11. quærit; quare ſpecies, cùm predicatur in quid de multis, puta indiuiduis, non dicatur genus; & reſpondet. Quòd in genere eſt prius, & poſterius, ideſt, unum eſt altero perfectius eorum, quæ ſub ipſa continentur; At in ſpecie, non eſt prius, nec poſterius; ſunt enim omnia indiuidua æqualis perfectionis ſubſtantialis. Adde, quòd alibi inquit; quòd in genere latent æquiuocationes, hoc eſt, diuerſæ perfectionis ſpecies: At ſi ſub ſpecie eſſent diuerſæ perfectiones; etiam, ſub ſpecie laterent æquiuocationes.

Eia veniamus ad fundamenta eorum, qui inæqualitatem animarum rationalium ex mente Diui Thomæ ſuſtinere nituntur. Ji ſunt Capreolus, Caietanus, & Jauellus. Capreoli fundamentum, eſt diſtinctio illa inter eſſentiam animæ, & eſſe ab ipſa emanans, per quam aſſerit animas intellectiuas, ratione huius eſſentiæ, nullam inter ſe inæqualitatem habere; ſed inæqualitatem ab ipſo eſſe originem trahere; quatenus altera participatur magis, à ſuo ſubiecto; & illud magis actuat quàm altera; & per hanc diſtinctionem reſpondet omnibus argumentis Durandi, Henrici, & Bernardi de Gannaco, contra hanc concluſionem formatis. Sed, quia hæc diſtinctio eſt ex omni parte eadem cum illa, quæ ab aduerſario meo ſuper hanc quæſtionem, ad argumentationes meas allata fuit, pertranſceundam eſſe duco, ibi enim videri poſſunt obiectiones meæ, contra huiuſmodi diſtinctionem; quas ſuperuacaneum eſſet hîc denuo proferre.

Contra fundamenta eorum, qui ex mēte D. Thomæ inæqualitatem animarum rationaliū ſuſtinēt.

Caietanus hoc ſibi facit fundamentum ad probandum inæqualitatem animarum. Quemadmodum (inquit) anima in communi eſt

Caietani fundamētum pro inæqualitate Animarum rationalium.

" *eſt coaptata corpori organico phyſico &c et anima humana corpo*
" *ri reducto ad æqualitatem tangibilium ita oportet hanc animam eſ-*
" *ſe ſubſtantialiter coaptatám, & commenſuratam corpori ad talem*
" *gradum æqualitatis reducto. Non enim conſiſtit in indiuiſibili*
" *æqualitas complexionis requiſita ad corpus humanum, ut patet ad*
" *ſenſum Alij enim alijs præſtant bonitate tactus; & quia anima*
" *humana nõ cauſatur ex corpore, ſed in ſuo tantum fieri dependet ex*
" *corpore, non ut cauſa; ſed ut occaſione; conſequens eſt, quòd anima*
" *hæc cum ſit, ſortiatũ commenſurationẽ ſubſtantialẽ ad corpus ſic com*
" *plexionatum: ut inuenitur in illo initio, & eam ſemper retineat ne-*
" *ceſſe eſt; Quia in tranſmutabilis ſubſtantia eſt. Hæc Caietanus.*
Qui huic fundamento ita firmiter inhæret, ut cæcos appellet eos,
Contra Caietani fundamenta. *qui id D. Thomæ non adſcribendum eſſe exiſtimant. Ego verò ne-*
queo cùm Dominico Soto, non fáteri, me unum ex illis cæcis in hac
re eſſe. Non poſſum enim cogitatione aſſequi, quomodo ex perfectio-
ri, uel imperfectiori diſpoſitione corporis, anima magis. vel minus
perfectum ſortiatur modum, quia hoc eſſet ordinari cauſam ad in-
ſtrumentum, & perfectius ad imperfectius, quod non decet; non
enim faber, propter maleum, ſed maleus propter fabrum. Quin
etiam, ſi hoc verum eſſet, anima rationalis imperfectior eſſet om
Materia ordinatur ad formam *nibus alijs formis materiam informantibus, ad quas materia ipſa or*
dinatur, non autem ipſa ad materiam; ut bene inquit D. Thomas
prima parte. q. 47. art. primo in corp. his uerbis. Materia eſt pro-
pter formam, & non e conuerſo. Diſtinctio autem rerum eſt propter
formas proprias, non ergo eſt diſtinctio in rebus propter materiam;
ſed potius e conuerſo in materiam creata eſt diformitas; ut eſſet di
uerſis

uerſis formis accommodata. Quid clarius? idem dicit q 65. 20. | q. 70. 3. c. | q. 76. 5. c. primo. | q. 77. 6. c. | q 84. 4. c. | q. 85. 3. 4. | q. 89. c. c. | q. 91. 3. c. | q. 96. 5. c. | q. 108. 5. c. | 120. q. 2. 5. c. | Ma. q. 5. 5. c. | q. 16. 1. c. fi. | 2. c. | Anima 8. c. principio. | 16. | 10. primum. | ſecundum. 2. cont. cap. 40. | Defectus 4. | Dæmon. 56. 109. Id etiam probari poteſt Ariſtotelis teſtimonio in plerisque locis; ſed inter cæteros, in Primo libro de Partibus animalium, vbi inquit. Materiam enim talem adeſſe neceſſe eſt, ſi domus aut quiuis alius finis futurus ſit, atque etiam fieri mouerique illud primum oportet. Et paulo poſt ſubdit. Hoc enim in ædificijs etiam euenit, quòd enim forma ædium talis eſt, aut quòd tales ſunt ædes, idcirco fieri ædes hunc potius in modum cenſemus; generatio enim ſubſtantiæ gratia eſt, non ſubſtantia generationis gratia; Hæc Ariſtoteles; Sed ad quid auctoritates coaceruare, ſi vnicuique vel mediocriter in Philoſophia exercitato, hoc tanquam monſtrum, uideri poterit? uidelicet formam (præcipuè non eductam de potentia materiæ) qualis eſt anima rationalis materiæ accomodari debet. Nam ex materia ipſa, quæ omnino indeterminata eſt nihil penitus determinatur; Sed ex ea caſus euenire oportet.

Præterea ea, quæ ex agentis intentione proueniunt nullo pacto ab ipſa materia originem trahunt, quinimo ex ea præter intentionē agentis, quandoque monſtra, & peccata naturæ proueniunt; ex quo etiam manifeſtum eſt, ad formam eſſe materiam ab agente ordinatam, & non è contra; cum agens naturale non impeditum ſemper ſibi ſimile producat; a quo tamen ſi aliquando deficiat, id caſu, &

ex materia euenit. Si igitur inconueniens eſt id de cæteris formis in materiam receptis, & de eius potentia eductis dicere videlicet quòd in ordine ad materiã ipſi inurant formæ; quanto minus id de anima rationali affirmare licebit? quæ eſt nobiliſſima formarum annexarum materiæ, & de cuius potentia non eſt educta? Sed dicitur eſſe quaſi quidam Orizon, & confinium corporeorum, & incorporeorum; quatenus eſt ſubſtantia incorporea, corporis tamen forma, & proxima vltimæ Speciei angelicæ ſecundum ordinem diuinæ ſapientiæ, quæ (vt inquit Dioniſius, 7. cap. de diuinis nominibus) coniungit fines ſuperiorum, principijs inferiorum; Et vt rationem hanc teſtimonio ipſius D. Thomæ confirmemus; nempe quòd anima trahat ad ſuam conditionem corpus, & non trahatur ab illo ad modum ipſius, id aſſerit in quæſtionibus diſputatis. q. de anima art. 8. in corpore. his verbis. Cùm materia ſit propter formam, & non è conuerſo ex parte animæ oportet accipere rationem, qualè debeat eſſe corpus cui vnitur, et in ſecundo de Anima dicitur, quòd anima non ſolum; eſt corporis forma, & motor, ſed etiam finis. idẽ dicit in prima p. q. 76. art. 5. in corpore, quòd eſt conſonum doctrinæ, Ariſt: vt patet in ſecundo de Anima per ipſum ibi dicentẽ, quòd anima non ſolum eſt corporis forma, & motor, ſed etiam finis. Nec profectò video quomodo fieri poſſit, quòd ſi ratione ſubiectorum animæ humanæ, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei variari poſſunt, id locum non habeat in omnibus formis omnium ſpecierum, tam ſubſtantialium quam accidentalium; quod à doctrina D. Thomæ omnino abhorret, ex cuius ſententia viri iſti hanc poſitionem ſuſtinere poſſe opinantur. Mitto quòd ſi ſic eſſet, vnus homo differret ſpecie ab alteroʒ

Teſtimonia D. Thomæ, quòd corpus ſequatur naturam animę & non e conuerſo.

Rationes contra concluſionẽ

alteroʒ

altero; quia cùm diſpoſitiones corporis, ad cuius conditionem ſecundum ipſos anima in eo recipitur, ſæpe, & ſæpius varientur, nil obſtabit, quin etiam natura ipſius animæ indiuiduæ in dies uariari debeat. Mitto etiam, quòd ſi ex diſpoſitione corporis oritur maior, vel minor perfectio animæ indiuiduæ, cùm aliqui à natura ſtulti, et impotentes uti ratione naſcantur, illi ſtultam, & irrationalem animam conſequentur. & quòd grauius eſt, illi arbitrij libertate carebunt; quæ ex electione, & deliberatione rationis pendet. iam (vt opinor) abundè declaratum eſt fundamentum ipſius Caietani per quod ſententiam D. Thomæ adſcriptam tueri conatur non parum (vt id pace tanti viri dixerim) imbecille eſſe nec non id ipſimet diui Thomæ doctrinæ repugnare.

Videamus quæſo, nunquid infringi poſſint ſolutiones eius ad argumenta per alios contra rationem ſuam fabricata. Primo reſpondet Caietanus ad obiectionem illam; quòd ſi animarum rationaliũ altera eſſet alia perfectior, vel imperfectior, contingeret ſubſtantiam recipere magis, & minus; quòd eſt contra Ariſt. & veritatem: reſpondet inquam; quòd quamuis vna res ſit perfectior altera, ſiue eiuſdem ſiue alterius ſpeciei, nunquam dicitur ſuſcipere magis, & minus, niſi poſſit eſſe motus, uel mutatio de magis in minus, aut e conuerſo, hoc autem non conuenit animæ intellectiuæ, quoniam commenſurationem illam, quam ſemel accepit in impedibiliter ſortita eſt, quia eſt idem realiter, quod ſubſtantia ſua, quæ eſt ingenerabilis, & incorruptibilis. Hæc Caietanus. Sed contra. Ea que per ſe ipſa, & ex natura ſua conſiſtunt in indiuiſibili, magis, & minus recipere coguntur quoquo modo varientur; aliter vnum op- Contra Caietani ſolutiones

H ij poſitorum

poſitorum poſſet prædicari de altero. Formæ ſubſtãtiales conſiſtunt in indiuiſibili; quia ut inquit Ariſt. 8. Metaph: ſe habent ſicut numeri, quorum quæuis minima additio, uel ſubtractio eorum variat ſpeciem. Ergo ſi forma aliqua ſubſtantialis, qualis eſt Anima rationalis aliquo modo uariabitˉ, magis, & minus ſuſcipiet. Quis vero inficias iuerit quin ea quæ in hoc loco perfectiora, in illo verò imperfectiora reperiuntur variari dicantur? Et propterea bene inquit commentator in loco Ariſt: præallegato, quòd ſicut forma numeri non ſuſcipit magis, & minus, ita nec forma ſubſtantialis; non enim eſt homo unus maiori humanitate quàm alius, nam totum eſſe ſpeciei in quolibet indiuiduo conſiſtit. Quamobrem cum anima rationalis ſit forma ſubſtantialis, non eſt quòd ambigere debeamus; ipſam cum magis, & minus ſuſcipere non poſſit nequaquam variari poſſe; ita ut perfectius, & minus perfectum eſſe ſortiatur, non ſolum, vt eſt anima, ſed etiam, vt hæc eſt anima indiuidua; cùm, ut iam dixi, tota eſſentia ſpeciei in quouis indiuiduo reperiatur; alioquin non de omnibus æque in recto dici poſſet. Et profectò neſcio, quo modo poſſit Caietanus in hac propoſitione, uidelicet, quòd nulla ſubſtantia recipit magis, & minus, nouum hunc ſenſum extrahere; ſi enim textum ipſius Ariſt. in lib. de prædicamentis, cap. de ſub. ubi talis propoſitio reperitur perpendere voluerimus, atque expoſitores tum Græcos tùm Arabes, tùm etiam Latinos conſulere, id potius figmentum iudicabimus, quàm ueram huius axiomatis explicationem; quia ibi cum Ariſt: de prima, & ſecunda ſubſtantia earumq; inter ſe differentia verba fecerit, ſe tandē confert ad aſſignandam proprietatem, non magis primæ quàm ſecundæ congruam, ſed amba

bus

bus communem; ex quo manifeſtè colligitur, ſi tam prima ſubſtantia, quæ apud Ariſt. idem eſt ac indiuiduum ſubſtantiæ, quàm ſecũda, quæ eſt ipſa eſſentia rei in hac proprietate conueniunt, vt neutra ipſarum magis, & minus recipiat; hoc ſibi abſque ratione commentum Caietanum formaſſe; ut ab anima indiuidua hanc proprietatem auferret. Et ut melius poſſit per Ariſt. textum veritas harum rationum examinari; ipſum recitare non grauabor. Videtur (inquit Ariſt:) ſubſtantia non ſuſcipere magis, & minus. Dico autem, non quòd ſubſtantia non eſt à ſubſtantia magis, & minus ſubſtantia; hoc enim dictum eſt, quòd eſt, ſed, quòd unaquaque ſubſtantia hoc ipſum quod eſt, non dicitur magis, & minus, ut ſi eſt eadem ſubſtantia homo, non erit magis, & minus homo, neque ipſe ſeipſo, neque alter altero, non enim eſt alter altero magis homo; ſicut eſt album alterum altero magis, & minus album, & bonum alterum altero magis, & minus bonum, ſed & ipſum ſe ipſo magis, & minus dicitur, ut corpus cùm ſit album, magis nunc album eſſe dicetur, quàm prius, & cùm calidum ſit, magis, & minus calidum dicitur, ſubſtantia verò non dicitur magis atque minus; nihil enim homo magis nunc homo quàm prius dicitur; neque aliorum quicquã, quæcunque ſubſtantiæ ſunt. Quapropter non recipiet ſubſtantia magis & minus. Hæc Ariſt. Quid clarius dici poteſt contra ipſius Caietani allatam expoſitionem? Non ne ex Philoſophi verbis manifeſtiſſimè infertur non modo non poſſe vnam, & eandem formam ſubſtantialem magis, & minus ſuccedendo recipere; ſed nec etiàm vnam alteri collatam huic conditioni eſſe obnoxiam, vt altera earum magis, aut minus intenſa, aut remiſſa, quàm altera reperiatur?

reperiatur? quamuis neutra ipſarum propriam ſuccedendo naturã acquirat? At ſi præclaram de hac re ſententiam, ex qua veritas optimè eluceſcet ſcire deſideramus; expoſitionem Ammonij in recitato Ariſt. textu audiamus. ,, *Proprium hoc ſubſtantiæ (dicit Ammonius) quòd ipſi magis, & minus non accedat è ſuperiori conſequitur, et ex illo ortum eſt, quod dicebatur ſubſtantiæ nihil eſſe contrarium: ſiquidem, vt magis, & minus dicatur in ijs ſitum eſt, in quibus ſunt contraria, idque non abſolutè; Propterea quod non omnia contraria illud magis, minusque ſuſcipiunt, ſed ea ſolum quæ miſceri inter ſe apta ſunt; nam par, & impar, quæ contraria ſunt magis, & minus non dicuntur, cauſa eſt, quia miſceri inter ſe non poſſunt. Hæc Ammonius.* *Cùm igitur teſtimonio tanti viri radix illa non recipiendi magis, & minus in ſubſtantijs, ſit eas non habere contrarium; quæ nam erit hæc contrarietas ſubſtantiæ indiuiduæ conueniens, per quam poſſit ab altera eiuſdem ſpeciei differre? Quam habebit hæc contrarietatem, quæ cum altera miſceri poſſit, quod requiri exiſtimat Ammonius, vt formæ magis, & minus recipere ualeant? Sed iam ſatis contra hanc Caietani ſolutionem immorati ſumus. Quare operepretium erit videre, nunquid alia euerti poſſit, quàm ad hoc argumentum affert; quòd tale erat; Forma indiuidualis nullam ſubſtantiam includit præter ſpecificam formam; Ergo non eſt ſubſtantialiter perfectio. Conſequentia nota: & Antecedens patet; quia nec Formam, nec Materiam, nec Compoſitũ,*

Solutio Caietani ad ſecundũ argumentum.

Hanc ita ſoluit obiectionem; quòd hæc forma non addit ſupra formam ſubiectam, ſed modum potius ſubſtantiæ, qui eſt ſecundum rẽ ſubſtantia; commenſuratio enim huius animæ ad hoc corpus eſt indiuidualis

uidualis differentiæ contrahens animam ad hanc; & eſt intrinſeca huic animæ, ſicut differentia ſpecifica eſt intrinſeca ſpeciei. Sed contra hanc ſolutionem argumentor hoc pacto. Hic modus, quem hæc forma addit ſupra formam ſubiectam aut eſt Accidens, aut Subſtantia; alterum eſt concedendum, cùm inter hæc duo non detur medium; Si eſt Accidens; habetur intentum; Si eſt Subſtantia; aut eſt eadem cum prima, aut non; Si eadem, vel numero uel ratione. Si numero; noua hæc Subſtantia verum eſt figmentum; Si ratione, aut forma ſubiecta eſt nobilior altera, vel non; Si nobilior; Ergo perfectius ab imperfectiori perficietur. Si ignobilior; Ergo ſupra nobiliorem formam, quæ eſt ſpecies ſpecialiſſima, dabitur forma nobilior. Si fortaſſe dicatur, ipſas eſſe æqualis perfectionis. Ad quid per plura facere, quod per pauciora fieri poteſt? Dicat vlterius vir iſte; quomodo euitari poterit, quin ex duabus formis, ſi harum vna non eſt altera, aggregatum per accidens non conſtituatur? Ad hæc commenſuratio illa huius animæ ad hoc corpus, quam ipſe indiuidualem differentiam, animam contrahentem, & ei intrinſecã appellat, nõ ſecus ac differentia ſpecifica intrinſeca ſpeciei, quid aliud eſt quàm relatio inter corpus, & animã, quæ cùm ad duo extrema referatur, quare potius ſe ex vno quàm ex altero extremo tenebit?

Contra ſolutionem Caietani.

Tentemus modo an poſtremam Caietani ſolutionem ad obiectiones contra eius fundamentum proſternere valeamus. Fundamentum eius hoc erat; Formam proportionare corpori melius aut peius diſpoſito. Argumenta autem contra ipſum allata duo erant. Primum quòd diſpoſitiones corporis non redundant in formã non eductam de materia qualis eſt anima noſtra. Secundum, quod ſi melius

Caiet: fundamentum.

Argumenta contra Caietanũ fundamentum.

lius diſpoſiti corporis melior eſt anima. Ergo Anima vnius, et eiuſdem variabitur ſubſtantialiter, iuxta variationem diſpoſitionum corporis eiuſdem; hoc eſt falſum; Ergo probatur ſequela; quia non maioris ſunt efficatiæ diſpoſitiones præuiæ ad introductionē formæ, quàm diſpoſitiones conſeruantes ipſam formā in materia; ſed iſtæ poſſunt uariari; ergo corpus erit peius diſpoſitum: Ergo anima, quæ erat melior efficietur peior. Hæc ſunt que contra Caietani fundamentum obijcebantur. Ad quae ſic ipſe reſpondet, Quòd diſpoſitiones corporis redundare in animam per ſubſtantiam contingit dupliciter, Vno modo cauſaliter; Alio modo occaſionaliter; Et Primo eſt impoſſibile reſpectu animæ noſtræ, Secundo verò modo eſt neceſſarium; loquendo de diſpoſitionibus vltimis pro anima inducenda. Et cum contra hoc obijcitur, quia non ſunt maioris efficaciæ præcedentes quam conſeruantes. Reſpondet, quòd ratio peccat ſecundum non cauſam vt cauſam; Non enim maior, aut minor efficacia dat præuijs occaſionare talem gradum animæ; ſed ſtatus corporis diſpoſiti per eas. Ex hoc enim quòd afficiunt corpus in ſtatu illo, quo occaſionalis eſt cauſa animæ; habent quòd occaſionaliter concurrant ad talem commenſurationem animæ. vnde ſi diſpoſitiones conſeruantes, aut quecunque aliæ infra latitudinem humanam inuenirentur in ſtatu illo, ipſæ redundarent hoc modo in ſubſtantiā animæ. Et quòd redundantia hæc rationabilis eſt, iam patet ex dictis; quia anima eſſentialiter eſt perfectio coaptata ſuo perfectibili. Hæc Caietanus. Nos verò contra.

Reſpōſiones Caietani cōtra argumenta.

Per te diſpoſitiones iſtæ non redundant in animam noſtram cauſaliter, ſed tantum occaſionaliter. Ergo Deus, in creatione ipſius

Cōtra reſpōſionem Caietani.

animæ

animæ talem, aut talem animæ humanæ ſtatuit gradum, pro tali, aut tali occaſione à diſpoſitionibus ſumpta. Tunc vltra. Ergo, Deus in hac operatione erit inferior agentibus naturalibus in eorũ operationibus. Probo ſequelam. Illud agens ſe melius habet in ſua operatione, qui eam ad potiorem finem dirigit, à quo actiones modũ, & ſpeciem ſumunt; ſed agentia naturalia ex hac tua poſitione proprias operationes dirigerent ad nobiliorem finem, quàm Deus, in productione animarum humanarum; illi enim propter formam operantur, & eam huic materiæ adaptant; Deus verò Opt. Max. in productione animæ propter materiam operaretur; & formam ipſi contemperaret; quod mehercle haud tutum eſt dicere. Et vt falſitas huiuſce poſitionis magis aperiatur: audiamus D. Thomam, qui in ſecundo contra Gentiles cap. 40. in fine, ſic inquit. Cùm omnis intellectus agat propter bonum, non agit melius propter vilius, ſed e conuerſo; ſimiliter eſt de natura; omnes autem res procedunt à Deo propter intellectum agentem, vt ex ſupradictis patet, ſunt igitur à Deo uiliora propter meliora, & non e conuerſo, forma autem nobilior eſt materia, cùm ſit perfectio, & actus eius. Ergo nõ producit tales formas rerum propter tales materias, ſed magis tales materias produxit, ut ſint tales formæ; non igitur diſtinctio ſpecierum in rebus, quæ eſt ſecundum formam, eſt propter materiam, ſed magis materiæ ſunt creatæ diuerſa, vt diuerſis formis conueniant. Hæc D. Thomas. Et quid de hac re magis lucidè, & exactè dici poterat?

Quòd ſi fortaſſe, prædictæ poſitionis auctor rationibus contra eam adductis, & auctoritate D. Thomæ, cuius ille ſe profitetur

tionalium eſſe ex ſua natura, & ut Aduerſarius meus, ex mente D. Thomæ ſuſtinebat, eſſentialiter alteram altera perfectiorẽ; nam liquidò conſtat, coniecturam hanc peripateticis rationibus, necnon Ariſt. ipſius auctoritatibus oppugnare, quarum D. Thomas ſe ſtudioſiſſimum præbuit, in ijs quæ catholicæ fidei non aduerſantur; ut omittam, quòd ſententia hæc doctrinæ eiuſdem Sancti Doctoris ex diametro repugnare cognoſcitur. Quare non potui quin & pauca quædam iam agitatæ quæſtioni ſubiungerem; & quid ipſe de hac re ex mente D Thomæ ſentiam; tum verba, quæ apud ipſum de hac materia leguntur, quomodo intelligenda eſſe exiſtimem patefacerem. Is igitur erit ordo, Primò docebimus hanc concluſionem eſſe contra ipſius D. Thomæ principia; quod eius auctoritatibus probabitur. Secundò ex rationibus peripateticis id repugnare veritati demonſtrabitur. Tertiò confirmabitur per Ariſt. teſtimonium; falſam eſſe huiuſmodi poſitionem. Quartò eorum ſententiã refellere, & fundamenta; qui id nomine D. Thomæ ſuſtinent, euertere conabimur. Quintò ipſorum ſolutiones ad argumẽta, quæ ab alijs in hac re contra ipſos allata erãt impugnare ſtudebimus. Poſtremò loca D. Thomæ aggrediemur; ubi ipſe id ſibi uelle videtur; et dabimus operam explicandi, non ita eſſe intelligenda illius verba, ut illis placuit.

Ordo ab auctore ſeruandus.

Hæc eſt rationis noſtræ radix. Si inter animas humanas altera eſſet perfectior, & imperfectior altera, animæ humanæ reciperent magis, & minus. Sequela probatur ex 7. Phy. text. 29. ubi dicitur; quòd ꝓpria cõparatio ſecũdũ magis, et minus eſt eorũ, quæ participant vnam formam ſecundum ſpeciẽ, ſed ſecũdum alium

gra-

gradum; quadere, ſi ordine ꝓpoſito ſequelã hanc falſam eſſe conſti terit: Antecedens etiã ipſum corruet, quæ eſt concluſio impugnanda.

Quis ignorat D. Thomam hoc ſibi principium tanquam certiſſimum conſtituiſſe, nullam poſſe ex formis ſubſtantialibus, qualis eſt anima rationalis, intendi atque remitti, magiſque & minus ſuſcipere? Tres enim ſunt de hac re præcipue opiniones.

Prima eſt Auer. qui in libro tertio cœli com: 67. ſuſtinet elemẽtorum formas tantum, non autem formas ſubſtantiales intendi, remittique poſſe; hac ratione adductus; quòd formæ elementorum inter cæteras formas ſubſtantiales reſpectu aliarum imperfectæ ſunt tanquam magis proximæ primæ materiæ, quam ipſemet Ariſt. quodammodo non ens appellauit; & ſic Auer. medias eſſe exiſtimat inter ſubſtantiam, et accidens. Quo fit, ut ſicut accidentia poſſunt intendi, & remitti, huic etiam legi formæ elementorũ ſint obnoxiæ; quam tamen Auer: rationem D. Thomas in ſecundo de ortu, & interitu, hoc modo exagitat. Quòd ſi formæ elementorum eſſent mediæ inter ſubſtantiam, & accidens, medium eſſet inter contradictoria; nec fieri poteſt, ut, quæ diuerſiſſima ſunt, genere ut ſunt accidens, & ſubſtantia, medium habeant.

Auer: opinio de intenſione, et remiſſione formarum ſubſtantialium.

D. Thomæ rationes contra Auer. de intenſione, & remiſſione formarum.

Alia eſt Scoti, & eius diſcipulorum ſententia lib. 12. Met. quòd omnes formæ præter animam rationalem, magis, & minus ſuſcipere valeant; quàm opinionem, ferè omnes D. Thomæ ſectatores pluribus argumentis ſolent refellere; Quare nil eſt quòd in hoc ipſe tempus conteram; ſed ſat eſt in hoc pro re noſtra dicere; Quòd etiã Scotus, & alij, qui huic opinioni aſſentiuntur, quamuis cæteras formas ſubſtantiales intendi, remittique poſſe opinentur, animam tamen

Scoti opinio de intenſione et remiſſione formarum.

men rationalem ab hac conditione ſegregant; hoc enim eius dignitati derogare exiſtimant; admiſſo enim, quòd ſecundum Scotum aliæ formæ ſubſtantiales ſuſciperent magis, & minus; id tamen anima rationali indignum eſſet: quia poſſe intendi, et remitti denotat quãdam iperfectionem actus, ſatis admixti potentiæ. Quamobrem cùm anima ſit nobiliſſima, & prima inter formas receptas in materiam, adeò ut quamuis ſecundum actum informandi, non tamen ſecundum eſſe, ab ipſa materia dependeat; id iure merito ſupra cæteras formas ſubſtantiales in materiam receptas ſibi vendicaret.

D. Thomæ opinio de intenſione, & remiſſione formarum ſubſtantialium.

Tertia eſt D. Thomæ opinio, quæ ab vtraque iſtarum maxime diſtat; Ipſe enim nullam excipit formarum ſubſtantialium ab hac non recipiendi magis, & minus, conditione; & ideo in prima. p. q. 76. art. 4. ad quartum reprehendit opinionem Auerrois præallegatam, qui poſuit formas elementares propter ſui imperfectionem medias inter formas accidentales, & ſubſtantiales; & præterea voluit ipſas recipere magis, & minus, & poſtea ſuam affert ſententiam dicendo. Eſſe ſubſtantiale cuiuſlibet rei in indiuiſibili conſiſtit; & omnis additio, & ſubtractio variat ſpeciem, ſicut in numeris, vt dicitur. 8. Meta: vnde impoſſibile eſt, quòd forma ſubſtantialis quæcunque recipiat magis, & minus; nec minus eſt impoſſibile aliquid eſſe medium, inter ſubſtantiam, & accidens. Hæc D. Thomas. Qui etiam quæſt. 93. art 3. ad tertium in eadem prima parte inquit. Cùm dicitur, quòd ſubſtantia non recipit magis, & minus, non intelligitur: quòd vna ſpecies ſubſtantiæ non ſit perfectior quàm alia; ſed quòd vnum, & idem indiuiduum non participet ſuam ſpeciem quandoque magis, quandoque minus; nec etiam

à diuerſis

à diuerſis indiuiduis participatur ſpecies ſubſtantiæ ſecundum ma „ gis, & minus. Sed ad quid uerba, & loca D Thomæ recenſere, „ *vbi ſe hanc opinionem habere teſtatur? cùm vnus quiſque id apud ipſum in locis innumeris videre poſſit? vt præter ea, quæ à me in prima ipſius ſacræ Theologiæ parte recitata ſunt, in eadem reperitur. q. 110. art. 2. ad ſecundum & .12. q. 52 art. 1. cor. | tertia q. 75. art. 7. cor. | prima. q. 3. art. 9. ad nonum. 12. cor. | Me. q. 7. ar. 2. ad quartum | Vir. q. 1. 11. cor. | q. 5. art 3. cor. | Trin. 15. ad ſextum | Ani q. ad decimum. | Quol. 16. ad tertium | opuſc. 3. c. 92. | opuſc. 33. | Met. 11 lect. 12. prin.*

Nec modò D. Thomas omnino ab hac ſententia alienus fuit, nempe formas ſubſtantiales, nec magis, nec minus ſuſcipere; ſed nec etiã voluit formas accidentales poſſe gradum poſt gradum recipere, reſpectu earum naturarum; ſed tantum poſſe magis, & minus radicari in ſubiecto; & hoc modo verum eſſe ipſas intendi, & remitti; vt patet apud ipſum prima ſecundæ. q 52. art. 1. & ſecunda ſecundæ. q 24. art. 5. in quibus locis tam clarè, & exactè rem hanc determinat, vt vnicuique eius mens, & veritas manifeſtari poſſit.

Quamobrem cùm ex ipſius D. Thomæ doctrina cognitum ſit haud quaquam poſſe ſubſtantias magis, & minus ſuſcipere; qui hoc ipſi imponere voluerit; nempe, quòd animas eiuſdem ſpeciei, inter ſe inæquales exiſtimauerit; huic etiam neceſſe erit fateri, Angelicum illum doctorem in hac re ſibimet contradicere: quod de tanto, & tam eximio viro, in re tam graui ſcelus eſſet ſuſpicari.

Rationes Peripateticæ cõtra poſitionem de inæqualitate animarum.

Quòd verò rationes Peripateticæ contra hanc D. Thomæ adſcriptam

ſcriptam opinionem clamitent, ideſt, quòd Animæ humanæ, ſubſtantialium formarum in materiam receptarum nobiliſſimæ, magis, & minus ſuſcipere valeant; tam apertum eſt, ut probatione non indigeat. Nam ſi forma ſubſtantialis intendi, & remitti poteſt, ipſa cum motu inducetur, & cum motu deſinet; & ſic contra Peripatetica dogmata motus erit in ſubſtantia; calor enim, cæteraque qualitates, ob id cum motu inducuntur, quia certis gradibus intendi poſſunt; nec de hoc alia aſſignari poterit ratio.

Præterea, ſi forma ſubſtantialis poſſet intendi, & remitti, utique duæ formæ eſſent ſimul, nunquam enim calor remittitur, niſi cũ forma oppoſita coniungatur; nec ſimiliter albedo ſine nigredine. Et ſic una forma ſubſtantialis reperietur ſimul cum altera in eadem materia, ex quibus fiet unum per accidens, & non unum per ſe.

Rurſus, ubi non eſt contrarietas, non eſt magis, & minus in his, quæ oppoſitionem habent poſitiuam; uidelicet, cùm ſint duæ formæ, quæ ſimul eſſe non poſſunt, niſi ſint contrariæ. At in ſubſtantijs non eſt contrarietas, ſaltem in animatis, & mixtis: non ergo in his eſt magis, & minus. Plura alia poſſem argumenta ex principijs Peripateticorum colligere; ex quibus probarem, haud quaquã poſſe ſubſtantiam gradus intenſos, & remiſſos recipere, ſed hæc mihi ſatis ſuperque ſint.

Ariſt. Auctoritates contra inæqualitatem formarum ſubſtantialium.

Si quis autem uelit in hoc Ariſt. libros conſulere; uideat eius uerba in prædicamentis, cap. de Subſtantia; tex. 5. fruſtra enim eſſet ipſa hîc tranſcribere. Videat ipſum in 8. Metaphiſices text. 10. ubi inquit. „ *Quòd ſpecies rerum ſunt ſicut numeri, in quibus* „ *additio, uel diminutio uariat ſpeciem. Vlterius, ipſemet Ariſtoteles*

les 3. Metaphiſices tex. 11. quærit; quare ſpecies, cùm prædicatur in quid de multis, puta indiuiduis, non dicatur genus; & reſpondet. Quòd in genere eſt prius, & poſterius, ideſt, unum eſt altero perfectius eorum, quæ ſub ipſa continentur; At in ſpecie, non eſt prius, nec poſterius; ſunt enim omnia indiuidua æqualis perfectionis ſubſtantialis. Adde, quòd alibi inquit; quòd in genere latent æquiuocationes, hoc eſt, diuerſæ perfectionis ſpecies: At ſi ſub ſpecie eſſent diuerſæ perfectiones, etiam, ſub ſpecie laterent æquiuocationes.

Contra fundamenta eorum, qui ex mẽte D. Thomæ inæqualitatem animarum rationaliũ ſuſtinẽt.

Eia veniamus ad fundamenta eorum, qui inæqualitatem animarum rationalium ex mente Diui Thomæ ſuſtinere nituntur. Ii ſunt Capreolus, Caietanus, & Iauellus. Capreoli fundamentum, eſt diſtinctio illa inter eſſentiam animæ, & eſſe ab ipſa emanans, per quam aſſerit animas intellectiuas, ratione huius eſſentiæ, nullam inter ſe inæqualitatem habere; ſed inæqualitatem ab ipſo eſſe originem trahere; quatenus altera participatur magis, à ſuo ſubiecto; & illud magis actuat quàm altera; & per hanc diſtinctionem reſpondet omnibus argumentis Durandi, Henrici, & Bernardi de Gannaco, contra hanc concluſionem formatis. Sed, quia hæc diſtinctio eſt ex omni parte eadem cum illa, quæ ab aduerſario meo ſuper hanc quæſtionem, ad argumentationes meas allata fuit, pertranſceundam eſſe duco, ibi enim videri poſſunt obiectiones meæ, contra huiuſmodi diſtinctionem; quas ſuperuacaneum eſſet hîc denuo proferre.

Caietani fundamẽtum pro inæqualitate Animarum rationalium.

Caietanus hoc ſibi facit fundamentum ad probandum inæqualitatem animarum. Quemadmodum (inquit) anima in communi

eſt

„ eſt coaptata corpori organico phyſico &c et anima humana corpo
„ ri reducto ad æqualitatem tangibilium ita oportet hanc animam eſ-
„ ſe ſubſtantialiter coaptatam, & commenſuratam corpori ad talem
„ gradum æqualitatis reducto. Non enim conſiſtit in indiuiſibili
„ æqualitas complexionis requiſita ad corpus humanum, vt patet ad
„ ſenſum Alij enim alijs præſtant bonitate tactus; & quia anima
„ humana nō cauſatur ex corpore, ſed in ſuo tantum fieri dependet ex
„ corpore, non ut cauſa; ſed vt occaſione; conſequens eſt, quòd anima
„ hæc cum ſit, ſortiaī commenſurationē ſubſtantialē ad corpus ſic com
„ plexionatum: ut inuenitur in illo initio, & eam ſemper retineat ne-
„ ceſſe eſt; Quia in tranſmutabilis ſubſtantiæ eſt. Hæc Caietanus.

Qui huic fundamento ita firmiter inhæret, vt cæcos appellet eos, qui id D. Thomæ non adſcribendum eſſe exiſtimant. Ego verò nequeo cùm Dominico Soto, non fateri, me vnum ex illis cæcis in hac re eſſe. Non poſſum enim cogitatione aſſequi, quomodo ex perfectiori, uel imperfectiori diſpoſitione corporis, anima magis. vel minus perfectum ſortiatur modum, quia hoc eſſet ordinari cauſam ad inſtrumentum, & perfectius ad imperfectius, quod non decet; non enim faber, propter maleum, ſed maleus propter fabrum. Quin etiam, ſi hoc verum eſſet, anima rationalis imperfectior eſſet omnibus alijs formis materiam informantibus, ad quas materia ipſa ordinatur, non autem ipſæ ad materiam; vt bene inquit D. Thomas prima parte. q. 47. art. primo in corp. his uerbis. Materia eſt propter formam, & non e conuerſo. Diſtinctio autem rerum eſt propter formas proprias, non ergo eſt diſtinctio in rebus propter materiam; ſed potius e conuerſo in materiam creata eſt diformitas, vt eſſet di-

Contra Caietanum fundamenta.

Materia ordinatur ad formam

uerſis

*uerſis formis accommodata. Quid clarius? idem dicit q. 81. 20. ,,
| q. 70. 3. c. | q. 76. 5. c. primo. | q. 77. 6. c. | q 84. 4. c. | q.
85. 3. 4. | q. 89. c. c. | q. 91. 3. c. | q. 96. 5. c. | q. 108. 5. c. |
120. q. 2. 5. c. | Ma. q. 5. 5. c. | q. 16. 1. c. fi. | 2. c. | Anima.
8. c. principio. | 16. | 10. primum. | ſecundum. 2. cont. cap.
40. | Defectus 4. | Dæmon. 56. 109. Id etiam probari poteſt Ariſtotelis teſtimonio in pleriſque locis: ſed inter cæteros, in Primo libro de Partibus animalium, ubi inquit. Materiam enim talem adeſſe neceſſe eſt, ſi domus aut quiuis alius finis futurus ſit, atque etiam fieri mouerique illud primum oportet. Et paulo poſt ſubdit. Hoc enim in ædificijs etiam euenit, quòd enim forma ædium talis eſt, aut quòd tales ſunt ædes, idcirco fieri ædes hunc potius in modum cenſemus; generatio enim ſubſtantiæ gratia eſt, non ſubſtantia generationis gratia; Hæc Ariſtoteles; Sed ad quid auctoritates coaceruare, ſi unicuique uel mediocriter in Philoſophia exercitato, hoc tanquam monſtrum, uiderit poterit? uidelicet formam (præcipuè non eductam de potentia materiæ) qualis eſt anima rationalis materiæ accomodari debet. Nam ex materia ipſa, quæ omnino indeterminata eſt nihil penitus determinatur; Sed ex ea caſus euenire oportet.*

Præterea ea quæ ex agentis intentione proueniunt nullo pacto ab ipſa materia originem trahunt, quinimo ex ea præter intentionē agentis, quandoque monſtra, & peccata naturæ proueniunt; ex quo etiam manifeſtum eſt, ad formam eſſe materiam ab agente ordinatam, & non è contra; cum agens naturale non impeditum ſemper ſibi ſimile producat; a quo tamen ſi aliquando deficiat, id caſu, &

ex materia euenit. Si igitur inconueniens eſt id de cæteris formis in materiam receptis, & de eius potentia eductis dicere videlicet quòd in ordine ad materiā ipſi mutarī formæ; quanto minus id de anima rationali affirmare licebit? quæ eſt nobiliſſima formarum annexarum materiæ, & de cuius potentia non eſt educta? Sed dicitur eſſe quaſi quidam Orizon, & confinium corporeorum, & incorporeorum; quatenus eſt ſubſtantia incorporea, corporis tamen forma, & proxima vltimæ Speciei angelicæ ſecundum ordinem diuinæ ſapientiæ, quæ (vt inquit Dioniſius, 7. cap. de diuinis nominibus) coniungit fines ſuperiorum, principijs inferiorum; Et vt rationem hanc teſtimonio ipſius D. Thomæ confirmemus; nempe quòd anima trahat ad ſuam conditionem corpus, & non trahatur ab illo ad modum ipſius, id aſſerit in quæſtionibus diſputatis.q. de anima art. 8. in corpore. his verbis. Cùm materia ſit propter formam, & non è conuerſo ex parte animæ oportet accipere rationem, qualē debeat eſſe corpus cui vnitur, et in ſecundo de Anima dicitur, quòd anima non ſolum, eſt corporis forma, & motor, ſed etiam finis. idē dicit in prima p. q. 76. art. 5. in corpore, quòd eſt conſonum doctrine, Ariſt: vt patet in ſecundo de Anima per ipſum ibi dicentē, quòd anima non ſolum eſt corporis forma, & motor, ſed etiam finis. Nec profecto video quomodo fieri poſſit, quòd ſi ratione ſubiectorum anima humanæ, quæ ſunt eiuſdem Speciei variari poſſunt, id locum non habeat in omnibus formis omnium Specierum, tam ſubſtantialium quàm accidentalium; quod à doctrina D. Thomæ omnino abhorret, ex cuius ſententia viri iſti hanc poſitionem ſuſtinere poſſe opinantur. Mitto quòd ſi ſic eſſet, vnus homo differret Speciē ab alterο;

Teſtimonia D. Thomæ, quòd corpus ſequatur naturam animę & non e conuerſo.

Rationes contra concluſionē

altero; quia cùm diſpoſitiones corporis, ad cuius conditionem ſecundum ipſos anima in eo recipitur, ſæpe, & ſæpius varientur, nil obſtabit, quin etiam natura ipſius animæ indiuiduæ in dies uariari debeat. Mitto etiam, quòd ſi ex diſpoſitione corporis oritur maior, vel minor perfectio animæ indiuiduæ, cùm aliqui à natura ſtulti, et impotentes uti ratione naſcantur, illi ſtultam, & irrationalem animam conſequentur. & quòd grauius eſt, illi arbitrij libertate carebunt; quæ ex electione, & deliberatione rationis pendet. iam (vt opinor) abundè declaratum eſt fundamentum ipſius Caietani per quod ſententiam D. Thomæ adſcriptam tueri conatur non parum (vt id pace tanti viri dixerim) imbecille eſſe nec non id ipſimet diui Thomæ doctrinæ repugnare.

Videamus quæſo, nunquid infringi poſſint ſolutiones eius ad argumenta per alios contra rationem ſuam fabricata. Primo reſpondet Caietanus ad obiectionem illam; quòd ſi animarum rationaliũ altera eſſet alia perfectior, vel imperfectior, contingeret ſubſtantiam recipere magis, & minus; quòd eſt contra Ariſt. & veritatem: reſpondet inquam; quòd quamuis vna res ſit perfectior altera, ſiue eiuſdem ſiue alterius ſpeciei, nunquam dicitur ſuſcipere magis, & minus, niſi poſſit eſſe motus, uel mutatio de magis in minus, aut e conuerſo, hoc autem non conuenit animæ intellectiuæ, quoniam commenſurationem illam, quam ſemel accepit in impedibiliter ſortita eſt, quia eſt idem realiter, quod ſubſtantia ſua, quæ eſt ingenerabilis, & incorruptibilis. Hæc Caietanus. Sed contra. Ea quæ per ſe ipſa, & ex natura ſua conſiſtunt in indiuiſibili, magis, & minus recipere coguntur quoquo modo varientur; aliter vnum op- Contra Caietani ſolutiones

 poſitorum

poſitorum poſſet prædicari de altero. Formæ ſubſtãtiales conſiſtunt in indiuiſibili; quia vt inquit Ariſt. 8. Metaph: ſe habent ſicut nu meri, quorum queuis minima additio, uel ſubtractio eorum variat ſpeciem. Ergo ſi forma aliqua ſubſtantialis, qualis eſt Anima rationalis aliquo modo uariabit, magis, & minus ſuſcipiet. Quis vero inficias iuerit quin ea quæ in hoc loco perfectiora, in illo verò imperfectiora reperiuntur variari dicantur? Et propterea bene inquit commentator in loco Ariſt: præallegato, quòd ſicut forma numeri non ſuſcipit magis, & minus, ita nec forma ſubſtantialis; non enim eſt homo unus maiori humanitate quàm alius, nam totum eſſe ſpeciei in quolibet indiuiduo conſiſtit. Quamobrem cum anima rationalis ſit forma ſubſtantialis, non eſt quod ambigere debeamus; ipſam cum magis, & minus ſuſcipere non poſſit nequaquam variari poſſe; ita ut perfectius, & minus perfectum eſſe ſortiatur, non ſolum, vt eſt anima, ſed etiam, vt hæc eſt anima indiuidua; cùm, ut iam dixi, tota eſſentia ſpeciei in quouis indiuiduo reperiatur; alioquin non de omnibus æque in recto dici poſſet. Et profectò neſcio, quo modo poſſit Caietanus in hac propoſitione, uidelicet, quòd nulla ſubſtantia recipit magis, & minus, nouum hunc ſenſum extrahere; ſi enim textum ipſius Ariſt. in lib. de prædicamentis, cap. de ſub. ubi talis propoſitio reperitur perpendere voluerimus, atque expoſitores tum Græcos tùm Arabes, tùm etiam Latinos conſulere, id potius figmentum iudicabimus, quàm ueram huius axiomatis explicationem; quia ibi cum Ariſt. de prima, & ſecunda ſubſtantia earumq; inter ſe differentia verba fecerit, ſe tandẽ confert ad aſſignandam proprietatem, non magis primæ quàm ſecundæ congruam, ſed amba

bus

bus communem; ex quo manifeſtè colligitur, ſi tam prima ſubſtantia, quæ apud Ariſt. idem eſt ac indiuiduum ſubſtantiæ, quàm ſecũda, quæ eſt ipſa eſſentia rei in hac proprietate conueniunt, vt neutra ipſarum magis, & minus recipiat; hoc ſibi abſque ratione commentum Caietanum formaſſe; ut ab anima indiuidua hanc proprietatem auferret. Et ut melius poſſit per Ariſt. textum veritas harum rationum examinari; ipſum recitare non grauabor. Videtur (inquit Ariſt:) ſubſtantia non ſuſcipere magis, & minus. Dico autem, non quòd ſubſtantia non eſt à ſubſtantia magis, & minus ſubſtantia; hoc enim dictum eſt, quòd eſt, ſed, quòd unaquaque ſubſtantia hoc ipſum quod eſt, non dicitur magis, & minus, ut ſi eſt eadem ſubſtantia homo, non erit magis, & minus homo, neque ipſe ſeipſo, neque alter altero, non enim eſt alter altero magis homo; ſicut eſt album alterum altero magis, & minus album, & bonum alterum altero magis, & minus bonum, ſed & ipſum ſe ipſo magis, & minus dicitur, ut corpus cùm ſit album, magis nunc album eſſe dicetur, quàm prius, & cùm calidum ſit, magis, & minus calidum dicitur, ſubſtantia verò non dicitur magis atque minus; nihil enim homo magis nunc homo quàm prius dicitur; neque aliorum quicquã, quæcunque ſubſtantiæ ſunt. Quapropter non recipiet ſubſtantia magis & minus. Hæc Ariſt. Quid clarius dici poteſt contra ipſius Caietani allatam expoſitionem? Non ne ex Philoſophi verbis manifeſtiſſimè infertur non modo non poſſe vnam, & eandem formam ſubſtantialem magis, & minus ſuccedendo recipere; ſed nec etiàm vnam alteri collatam huic conditioni eſſe obnoxiam, vt altera earum magis, aut minus intenſa, aut remiſſa, quàm altera

reperiatur?

reperiatur? quamuis neutra ipſarum propriam ſuccedendo naturã acquirat? At ſi præclaram de hac re ſententiam, ex qua veritas optimè eluceſcet ſcire deſideramus; expoſitionem Ammonij in recitato
,, *Ariſt. textu audiamus. Proprium hoc ſubſtantiæ (dicit Ammo-*
,, *nius) quòd ipſi magis, & minus non accedat è ſuperiori conſequi-*
,, *tur, et ex illo ortum eſt, quod dicebatur ſubſtantiæ nihil eſſe contra-*
,, *rium: ſiquidem, vt magis, & minus dicatur in ijs ſitum eſt, in qui*
,, *bus ſunt contraria, idque non abſolutè; Propterea quod non omnia*
,, *contraria illud magis, minusque ſuſcipiunt, ſed ea ſolum quæ miſce-*
,, *ri inter ſe apta ſunt; nam par, & impar, quæ contraria ſunt magis,*
,, *& minus non dicuntur, cauſa eſt, quia miſceri inter ſe non poſſunt.*
,, *Hæc Ammonius. Cùm igitur teſtimonio tanti viri radix illa non recipiendi magis, & minus in ſubſtantijs, ſit eas non habere contrarium; quæ nam erit hæc contrarietas ſubſtantiæ indiuiduæ conueniens, per quam poſſit ab altera eiuſdem ſpeciei differre? Quam habebit hæc contrarietatem, quæ cum altera miſceri poſſit, quod requiri exiſtimat Ammonius, vt formæ magis, & minus recipere ualeant? Sed iam ſatis contra hanc Caietani ſolutionem immorati ſumus. Quare operepretium erit videre, nunquid alia euerti poſſit, quàm ad hoc argumentum affert; quòd tale erat; Forma indiuidualis nullam ſubſtantiam includit præter ſpecificam formam; Ergo non eſt ſubſtantialiter perfectio. Conſequentia nota: & Antecedens patet; quia nec Formam, nec Materiam, nec Compoſitũ, Hanc ita ſoluit obiectionem; quòd hæc forma non addit ſupra formam ſubiectam, ſed modum potius ſubſtantiæ, qui eſt ſecundum rẽ ſubſtantia; commenſuratio enim huius animæ ad hoc corpus eſt indi*

Solutio Caietani ad ſecundũ argumentum.

uidualis

uidualis differentiæ contrahens animam ad hanc; & eſt intrinſeca huic animæ, ſicut differentia ſpecifica eſt intrinſeca ſpeciei. Sed contra hanc ſolutionem argumentor hoc pacto. Hic modus, quem hæc forma addit ſupra formam ſubiectam aut eſt Accidens, aut Subſtantia; alterum eſt concedendum, cùm inter hæc duo non detur medium; Si eſt Accidens; habetur intentum; Si eſt Subſtantia; aut eſt eadem cum prima, aut non; Si eadem, vel numero uel ratione. Si numero; noua hæc Subſtantia verum eſt figmentum; Si ratione, aut forma ſubiecta eſt nobilior altera, vel non; Si nobilior; Ergo perfectius ab imperfectiori perficietur. Si ignobilior; Ergo ſupra nobiliorem formam, quæ eſt ſpecies ſpecialiſſima, dabitur forma nobilior. Si fortaſſe dicatur, ipſas eſſe æqualis perfectionis. Ad quid per plura facere, quod per pauciora fieri poteſt? Dicat vlterius vir iſte; quomodo euitari poterit, quin ex duabus formis, ſi harum vna non eſt altera, aggregatum per accidens non conſtituatur? Ad hæc commenſuratio illa huius animæ ad hoc corpus, quam ipſe indiuidualem differentiam, animam contrahentem, & ei intrinſecã appellat, nõ ſecus ac differentia ſpecifica intrinſeca ſpeciei, quid aliud eſt quàm relatio inter corpus, & animã, quæ cùm ad duo extrema referatur, quare potius ſe ex vno quàm ex altero extremo tenebit?

Contra ſolutionem Caietani.

Tentemus modo an poſtremam Caietani ſolutionem ad obiectiones contra eius fundamentum proſternere valeamus. Fundamentum eius hoc erat; Formam proportionare corpori melius aut peius diſpoſito. Argumenta autem contra ipſum allata duo erant. Primum quòd diſpoſitiones corporis non redundant in formã non eductam de materia qualis eſt anima noſtra. Secundum, quod ſi melius

Caiet: fundamentum.

Argumenta contra Caietani fundamentum.

animæ talem, aut talem animæ humanæ ſtatuit gradum, pro tali, aut tali occaſione à diſpoſitionibus ſumpta. Tunc vltra. Ergo, Deus in hac operatione erit inferior agentibus naturalibus in eorũ operationibus. Probo ſequelam. Illud agens ſe melius habet in ſua operatione, qui eam ad potiorem finem dirigit, à quo actiones modũ, & ſpeciem ſumunt; ſed agentia naturalia ex hac tua poſitione proprias operationes dirigerent ad nobiliorem finem, quàm Deus, in productione animarum humanarum; illi enim propter formam operantur, & eam huic materiæ adaptant; Deus verò Opt. Max. in productione animæ propter materiam operaretur; & formam ipſi contemperaret; quod mehercle haud tutum eſt dicere. Et vt falſitas huiuſce poſitionis magis aperiatur: audiamus D. Thomam, qui in ſecundo contra Gentiles cap. 40. in fine, ſic inquit. Cùm om„ nis intellectus agat propter bonum, non agit melius propter vilius, „ ſed e conuerſo; ſimiliter eſt de natura; omnes autem res procedunt „ à Deo propter intellectum agentem, vt ex ſupradictis patet, ſunt „ igitur à Deo uiliora propter meliora, & non e conuerſo, forma au„ tem nobilior eſt materia, cùm ſit perfectio, & actus eius. Ergo nõ „ producit tales formas rerum propter tales materias, ſed magis tales „ materias produxit, ut ſint tales formæ; non igitur diſtinctio ſpecie„ rum in rebus, quæ eſt ſecundum formam, eſt propter materiam, ſed „ magis materiæ ſunt creatæ diuerſa, vt diuerſis formis conueniant. „ Hæc D. Thomas. Et quid de hac re magis lucidè, & exactè dici „ poterat? „

Quòd ſi fortaſſe, prædictæ poſitionis auctor rationibus contra eam adductis, & auctoritate D. Thomæ, cuius ille ſe profitetur

aſſeclam conuictus diceret Deum nequaquam producere animam perfectiorem vel imperfectiorem propter magis, vel minus perfectum corpus, ſed magis, & minus perfectum corpus propter perfectiorem, imperfectioremue animam producere; quod tamẽ non video quomodo ipſe ſecundum eius proceſſum inferre poſſit. Sic ego huic rationi obſtarem. Quod ſi Deus per cauſas ſecundas neceſſarias corpus præparat, & ad modum ipſarum concurrit ſimul cum ipſis; animas verò liberè, & immediatè creat; Ergo non ordinat quod neceſſarium eſt in id quod eſt liberum; eſſet enim liberum reſtringere; & ſic quoquo modo ab ijs dicatur pro animarum rationalium inæqualitate ſuſtinenda dicta eorum in hoc titubare compelluntur.

Obiectio contra Caietani ſolutionem.

Reliquum eſt, ut poſtremam Caietani ſolutionem ad nouiſſimam illam obiectionem inutilem probemus. Obiectio erat; quòd ſi pro maiori, vel minori diſpoſitione, corpus meliorem, vel peiorem ſortiatur animam, hæc in dies ad veritatem diſpoſitionum variabitur; ex hoc præſertim, quòd diſpoſitiones conſeruantes ipſam formam, non minùs efficaces ſunt, quàm quæ animam præceſſerant; cuius argumenti vim ſic explicare conatur. Maior aut minor uirtus non tribuit præuijs diſpoſitionibus, munus tale (ut ipſe inquit) occaſionandi animæ gradum; Sed ſtatus corporis diſpoſiti per eas. Nam ex hoc quòd corpus in ſtatu illo afficiunt, quo occaſionalis cauſa eſt animæ, habent, vt occaſionaliter concurrant ad huiuſmodi animæ commenſurationem. Sed contra. Poſito quòd anima iam in ſtatu illo in corpore introducta, commenſurata ipſi corpori, pro diſpoſitionibus in eo ſtatu corpus afficientibus, nequeat uariari ad

Reſponſio Caiet. ad obiectã.

variationem

variationem diſpoſitionum, per quas corpus ipſum conſeruatur; nihil tamen obſtabit, quin variatis diſpoſitionibus, per quas anima ipſa corpori proportionata reddebatur, proportionem hanc amittat; ſtatus enim ille cuius auctor huius ſententiæ meminit, nil aliud operatur, quàm quòd occaſionem coadiuuat, ut anima talem ſortiatur gradum; per quem à quauis alia differat: tamen ſtatus ille non, niſi per accidens conuenit ad animam ipſam pro hoc gradu contemperandam; cùm diſpoſitiones tantum hoc munere fungantur, quas ſi mutari contigerit, quamuis anima ex defectu occaſionis ad id requiſitæ mutationem non patiatur, fiet tamen non proportionata corpori, non ſecus ac duobus exiſtentibus ſimilibus, euenit alterum ad mutationem alterius mutari, nulla in ipſo mutatione facta cùm non amplius illi ſimilis ſit. Ad quod hoc ſequetur incommodum; quòd actus improprius impropriam actuabit materiam, contra quod omnia iura Peripatetica vno ore clamant. Adde quòd vnio hæc formæ ad materiam, iam non amplius naturalis, ſed violenta fiet, nec diu in ipſa manu teneri poterit. Et vt tandem huic aſſumptæ prouinciæ contra Caietanum finem imponamus, tanta, totque ex eius poſitione oriuntur abſurda; ut penitus reijciendam eſſe cenſeamus.

Supereſt ſententia Iauelli à nobis examinanda; cuius fundamentum, & ſolutiones ad argumenta, quæ contra hanc concluſionem fieri ſolēt ſunt penitus eadem cum ipſis quæ Caietanus attulit, vt poterit quiuis pro arbitratu apud ipſum videre in. 6. quæſt. 8. Metaph. vbi nihil non dictum a Caietano reperitur; præter quā quòd ipſe tribus ualidiſſimis obiectionibus Pauli Soncinatis D.Thomæ ſectatoris nobiliſſimi, reſpondere nititur, per idem (vt opinor falſum) Opinio Iauelli, de inæqualitate animarum.

falſum) Caietani fundamentum; quòd Deus, (vt proprijs ipſius
,, Iauelli vtamur verbis) dum creat hanc animam reſpicit hoc cor
,, pus, & proportionaliter terminat ipſum ad talem gradum eſſendi;
,, & corpori proportionatum. Quare, cum ijs nil à nobis iam non diſ-
cuſſum agat, ſeque ſub eodem Caietani clipeo protegat; nos eadem
in ipſum dirigamus ſpicula, quæ in Caietanum proiecimus. Et ne
fruſtra eadem repetatur, Iauelli rationes omittamus; & ad pro-
poſitum pergamus inſtitutum.

Aggrediamur igitur (vt vltima orationis noſtræ pars abſol-
uatur) loca illa D. Thomæ, in quibus iſtius opinionis inuentores; ui
delicet animarum rationalium, alteram ex natura ſua, alteram in
nobilitate, & perfectione excellere, eam, ipſi imponere curant; &
videamus quę nam ſenſus medulla ſub eius verborum cortice re-
periatur. Nec ab re erit hîc loca, uerbaque recenſere, quæ viri
iſti alioquin doctiſſimi, ad eorum potius commentũ trahunt; quàm
ad D. Thomæ intentionem ducant. Duo ſunt loca præcipua vbi
D. Thomas huius ſententiæ (ſi verborum tantum ſuperficiem ſpe-
ctes, & non intima penetres) fuiſſe videtur. Vnus eſt in prima
parte eius ſacræ ſummæ, quæſt. 85. art. 7. in corpore, & in reſpon
ſione ad vltimum; alter eſt in ſecundo ſententiarum diſt. 32. q. 2.
,, art. 3 in corpore, in prima. p. loco præallegato. In corpore ſic inquit.
,, Aliquem intelligere, vnam, & eandem rem magis quàm alium,
,, poteſt intelligi dupliciter. Vno modo ſic, quòd ly magis determi-
,, net actum intelligendi ex parte rei intellectæ; & ſic non poteſt
,, vnus eandem rem magis intelligere, quàm alius. Quia ſi intelli-
,, geret eam aliter quàm ſit, uel melius, vel peius, falleretur; & non

intelligeret

intelligeret, vt arguit Auguſtinus. Alio modo poteſt intelligi, vt determinet actum intelligendi ex parte intelligentis; & ſic vnus alio poteſt eandem rem melius intelligere, quia eſt melioris virtutis in intelligendo, ſicut melius videt viſione corporali rem aliquã qui eſt perfectioris virtutis, & in quo virtus uiſiua eſt perfectior; Hoc autem circa intellectum contingit dupliciter. Vno quiquidem modo ex parte intellectus, qui eſt perfectior; manifeſtum eſt enim, quòd quantò corpus eſt melius diſpoſitum, tantò meliorem ſortitur animam. Quod manifeſte apparet in his, quæ ſunt ſecundum ſpeciem diuerſa. Cuius ratio eſt, quia actus, & forma recipitur in materiam ſecundum materiæ capacitatem. Vnde etiã cũ in hominibus quidam habeant corpus melius diſpoſitum, ſortiuntur animam maioris virtutis in intelligendo; vnde dicitur in ſecundo de Anima; quòd molles carne bene aptos mente videmus. Alio modo contingit hoc ex parte inferiorum virtutum, quibus intellectus indiget ad ſui operationem. Illi enim, in quibus uirtus immaginatiua, & cogitatiua, & memoratiua, eſt melius diſpoſita, ſunt melius diſpoſiti ad intelligendum. Hæc D. Thomas in corpore. Qui ibidem ad tertium inquit. Differentia formæ, quæ non prouenit niſi ex diuerſa diſpoſitione materiæ, non facit diuerſitatem ſecundum ſpeciem, ſed ſolum ſecundum numerum; Sunt enim diuerſorum indiuiduorum diuerſæ formæ ſecundum materiam diuerſificatam. In ſecundo ſententiarum loco præallegato ipſemet D. Thomas ſic in corpore ait. De Anima, & Angelo, eſt duplex opinio; quidam enim dicunt, Animam, & Angelum ex materia, & forma compoſitum, vel ex aliquibus duobus, quæ ſunt partes eſſentiæ eius; & ſecundũ

hoc

,, *hoc poteſt forte aliquis modus inueniri, quo aſſignatur differentia*
,, *animarum, & angelorum, ut ſint plures in ſpecie una, etiam ex*
,, *ſe ipſis, quia unitas ſpeciei erit ex principio formali in ipſis; diuer*
,, *ſitas autem indiuiduorum eſt ex diuerſitate materialis principij; et*
,, *ex hoc etiam poſſet in eis gradus quidam nobilitatis attendi. & hoc*
,, *uidentur uerba Magiſtri ſonare, qui dicit; eo modo in animabus eſ*
,, *ſe differentiam quo etiam in angelis eſt. Sed quia ſupra dictum eſt*
,, *ſecundum aliam opinionem, quia anima, & angelus naturæ ſimpli*
,, *ces ſunt, & non eſt in eis compoſitio, niſi ex eſſe, & quòd eſt; ideo*
,, *oportet, quòd quæcunque differentia eis eſt, ex ſe ipſis, ſit differen*
,, *tia formalis, & ſpeciei diuerſitatem inducens; & propter hoc etiã*
,, *tactum eſt, quòd in angelis tot ſunt ſpecies quot indiuidua; & ideo*
,, *non eſt poſſibile ut diuerſitas animarum ponatur ad modum illum,*
,, *quo diſtinguntur gradus in natura angelica; cùm omnes animæ ra-*
,, *tionales unius ſpeciei ſint; differunt autem numero ſolo; omnis au-*
,, *tem talis diuerſitas, ex materia cauſatur; & ideo cùm anima non*
,, *habeat materiam partem ſui, oportet quòd diuerſitas, & diſtinctio*
,, *gradus in animabus cauſetur ex diuerſitate corporis; et quanto cor*
,, *pus melius complexionatum fuerit, meliorẽ animam ſortiatur, cùm*
,, *omne quod in aliquo recipitur per modum recipientis ſit receptum;*
,, *& hoc quidem duplici ſigno patet. Primo ex his, quæ generis diuer*
,, *ſi ſunt; quia unumquodque inuenitur tantò nobilius genus animæ*
,, *participare, quantò corpus eius ad nobilius genus complexionis per*
,, *tingit; ut in hominibus, brutis, & plantis; Unde etiam in his, quæ*
,, *ſunt unius generis, ex hoc contingit diuerſitas animarum, quæ eſt*
,, *in corporibus diuerſitas. Et hoc etiã patet in ſigno boni intellectus;*

quòd

quòd Philoſophus in ſecũdo de Anima dat intelligere; dicens eos, qui „
ſunt boni tactus, & molles carne, aptos mente eſſe, bonitas autem „
tactus ex æqualitate complexionis contingit, quia oportet ut inſtru „
mentum tactus inter contraria tangibilia ſit medium; & quantò „
magis peruenit ad medium, tantò melior erit tactus. Vnde patet, „
quòd ex diuerſitate corporis animarum diuerſitas reſultat. Hæc „
D. Thomas. „

Antequam vlterius progrediamur eſt maxime aduertendus titulus articuli, ſub quo in prima parte prænotata ſcribit. Si enim hanc ſibi animarum inæqualitatem ſtatuiſſet, profectò Angelicus il le Doctor, qui cùm cæteros omnes doctrina ſuperet ſeipſum in ordinatiſſima illa ſacræ ſummæ aurea catena ſuperare videtur, in hoc non parum diminutus eſſet. Nam cùm hunc titulum recitato articulo inſcribat. Vtrum vnam & eandem rem vnus alio melius intelligere poſſit; Si ſecundùm eius intentionem id ex animarum inæqualitate euenit, quòd alter altero magis intellectu uigeat; operepretium erat, vt D. Thomas in hac re prius animarum diuerſitatem determinaret, quàm de harum intelligendi modo; conſtito enim, quòd vna anima eſſet altera perfectior, abſque aliqua hæſitatione inferri poterat, æquum eſſe unum alterum, in actu intelligendi ſuperare; & cùm non modo ante huiuſmodi articulum particularem de hac animarum inæqualitate quæſtionem non tractauerit, quòd in re tanti ponderis omittendum non erat; ſed de ea ne uerbum quidem fecerit, ſi huius fuiſſet ſententiæ, quæ ipſi adſcribitur; certum eſſet, ipſum hoc modo quod probandum erat ſuppoſuiſſe; nempe ex inæqualitate animarum inæqualitatem virtutis intelligendi in hominibus

Animaduerſio circa titulũ qſt. in prima parte. D. Thomæ pro eius opiniõe de inæqualitate animarum humanarum.

orιri.

oriri. Adde quod modus hic procedendi aduerſatur doctrinæ traditæ ab Ariſt. in lib. poſteriorum; vbi nos docet paſſiones de ſubiecto per eorum rationes demonſtrari; et ſic paſſionem hanc ipſarum animarum, diuerſimodè intelligendi, nullo ordine ſeruato demonſtraſſet, & nulla de ipſarum cauſa prius facta mentione; quæ omnia de tali, tantoque viro nefas eſt conijcere; præſertim cùm in huiuſcemodi rebus nunquam deficere ſoleat; ut eſt uidere; in tractatu de Angelis; in quo priuſquam determinaret unum altero per ſpecies magis, uel minus uniuerſales intelligere, de eorum natura in cõmuni pertractat; & demum ſpecificatim inquirit, nunquid unus ab alio differat, quo abſoluto ſe ad diuerſum ipſorum intelligendi modum determinandum confert; cùm ratio intelligendi, ex modo eorum eſſendi dependeat; unumquodque enim ita ſe habet ad operari, ſicut ad eſſe; cùm forma, quæ rem in eſſe conſtituit ſit operationis principium. Quamobrem cùm D. Thom. diuerſum modum intelligendi angelis conuenire probauerit, ex hoc quòd diuerſa ſint eorũ formalia principia, qui rectus erat ad hunc terminum incedendi trames; ad demonſtrandum autem diuerſitatem intelligendi in hominibus, per hãc ſemitã non ambulauerit, nec liceat dicere D. Thomam in hoc præter ipſius conſuetudinem defeciſſe; Reliquum eſt ut dicamus, ipſum animarum rationalium naturas haud quaquam diuerſas exiſtimaſſe.

Modus procedẽdi in doctrina, & ſcientijs.

Huic forſitã obiectioni aliquis reſponderet; quòd et ſi D. Thomas in prima parte ipſius ſummæ, de hac animarum inæqualitate propriam non agit quæſtionem; hoc tamen in ſecundo ſententiarum, loco à nobis recitato facit; ſub hoc titulo. Vtrum animæ ſint æquales

Reſponſio tacitę obiectioni de titulo articul. in prima parte.

in ſua

in ſua creatione. Sed hoc nihil ad rem; tùm quia non minus ſequeretur quòd ipſe in ordine ipſius ſummæ diminutus eſſet, per rationes à me adductas; quàmuis id in ſecundo ſententiarum tractauerit; tum etiam quia ibi de hoc agit, vbi ſe expoſitorem potius, quàm doctorem præbet Et Ideo de hoc in eo loco meminit, ſequendo textũ Magiſtri; qui in hanc ſententiam (vt verba eius ſonant) declinaſſe uidetur; quòd animæ rationales à Deo Opt. Max. in actu creationis diuerſæ in gradibus eſſentialibus effluant; quam tamen opinionem, in corpore quæſtionis reprehendit; vt in eo patet, quod ſupra recitauimus. Et id nobis argumento erit D. Thomam ab hac fuiſſe opinione alienum, quam in alijs reprehendendum putat.

Age iam tandem verba D. Thomæ perpendamus, & quid in eis de hac re elici poſſit conſideremus. Miror equidem quòd cùm ipſe tam clarè ſemper, verbisque tã ꝓprijs intẽtionẽ ſuã exponere ſoleat, vt aliqui, (ne dicam omnes) qui eius ſcripta explicare ſtudent potius indigeant per ipſum ab eis expoſitũ exponi: quàm quòd ipſe eorum expoſitione indigeat; ſi inæqualitatem animarum rationalium dandam eſſe opinatur, de hoc tam obſcurè ſcribat, vt nulla ipſius verba id apertè ſonent. Declaratio verborũ D. Thomæ

Quid enim aliud in corpore producti articuli, inquit, niſi id ſolũ, quòd quantò corpus eſt melius diſpoſitum, tantò meliorem ſortitur animam? loquitur nè hîc de corpore, & anima vnius hominis ratione alterius? Non profectò; ſed de corpore, vt corpus, & de anima, quatenus anima. Et ſic vtiquè verum eſt; meliori corpori, meliorem conuenire animam; Corpus enim animalis meliorem ſortitur animam, quàm corpus plantæ, illud enim ſenſitiuam, hoc ve- Meliori corpori abſolutè melior cõuenit anima.

rò vegetatiuam tantùm; & corpus hominis(vt homo eſt)meliori informatur anima, quàm corpus vniuſcuiuſque bruti. Et quòd hæc ſit in illis verbis mens D. Thomæ; liquidò apparet in his, quæ ſubdit, dicendo; Quòd id manifeſtè patet in his, quæ ſunt ſecundùm ſpeciem diuerſa. Et idem videri poteſt in loco, quem recen-
» ſuimus, ſuper ſecundum ſententiarum; vbi inquit. Vnumquodque
» inuenitur tantò nobilius genus animæ participare quātò corpus eius
» ad nobilius genus complexionis pertingit; vt in hominibus, brutis, & plantis. Cuius rationem aſſignans ibidem, in prima parte, di-
» cit: Cuius ratio eſt, quia actus, & forma, recipitur in materia ſecundùm materiæ capacitatem. Sed ſi D.Thomæ ſententiam nobis deſideràmus aperiri; expendamus aliquantiſper eius verba; Et in his primùm conſideremus. Quòd ipſe in hac ſua comparatione; nempè, quòd ſicuti inter ea, quæ ſunt diuerſorum generum, illud corpus ſortitur meliorem animam, quod eſt melius affectum; ita inter animas rationales illa eſt maioris virtutis in intelligendo, quæ melius diſtributum informat corpus. Non dicit illam animam rationalem eſſe meliorem, quæ habet melius corpus, ſicut dixerat de animabus diuerſorum generum; ſed dicit melioris virtutis in intelligendo; Quod nobis argumento eſt, quòd cùm non eodem modo de animabus rationalibus eiuſdem ſpeciei, in hac comparatione loquatur, quo de illis, quæ ſunt diuerſorum generum, aut ſpecierum; quòd nec etiam arbitratur eandem eſſe harum animarum inæqualitatem inter ſe; uidelicet ſecundùm earum naturam, quæ eſt inter animas, de quibus in alio membro comparationis loquitur. Et ſic, non exiſtimat D. Thomas, aliquem gradum eſſentialē perfectionis, in una

Animaduerſio in verbis D. Thomæ, de eius opinione.

anima

anima rationis participe reperiri, qui in alia non reperiatur. Ibi enim inquit ſecundùm affectionem corporum vnam animam eſſe meliorem altera; hîc uerò dicit ſecundùm talem diſpoſitionē unam eſſe maioris uirtutis in intelligendo, quàm alteram. Quo fit, vt in primo membro huius comparationis, dictio comparatiua cadat ſuper ſubſtantiam: Nam ſi una anima abſolutè prolata, ideſt nullo alio adiuncto, ut ipſam D. Thomas profert, eſt melior, quàm alia. Ergo maior hæc bonitas eſt ipſius naturæ, & non alicuius attributi ipſi ſuperadditi. Sed cùm D. Thomas comparat animam vnam rationis participem alteri; non facit dictionem comparatiuam cadere ſuper naturam earum; Sed ſuper quoddam attributum, extra naturam ipſarum. Dicit enim, quòd ſecundum meliorem conſtitutionem corporis, aliqui ſortiuntur animam melioris uirtutis, quàm alij; quam quidem uirtutem haud dubium eſt, non eſſe de genere ſubſtantiæ, nequè per ſe, nequè per reductionem; Sed eſſe in genere qualitatis.

Aliud eſt in verbis D. Thomæ non parui momenti, & maximè animaduertendum; Quòd D. Thomas non dixit abſolutè unā animam rationalem eſſe maioris uirtutis quàm alteram; ne fortaſſe aliquis exiſtimaret, ipſum nomine uirtutis, intelligere per quandam metaphoram, perfectionem aliquam ſecundùm naturam; ſed dicit maioris uirtutis in intelligendo. Quæ quidem duæ dictiones deſignant, hanc differentiam eſſe accipiendam in earum operationibus. Vbi etiam diligenter animaduertenti aperitur, cautè D. Thomam, cùm potuiſſet dicere maioris virtutis ad intelligendū: potius uoluiſſe uti hac particula: IN. ; dùm dicit in intelligēdo: quàm Animaduerſio in modo quo D. Thom. animam maioris virtutis eſſe dicit.

 vti

vti hac particula, AD.; & dicere ad intelligendum; cùm eundem ferè ſenſum uideatur præſeferre, uterque hic modus loquendi. Nàm ſi dixiſſet. AD. intelligendum denotaſſet potentiam, circunſcriptò quocunquè actu operationis; & ſpoliatam omni forma intelligibili; ſed cùm dixerit, IN. intelligendo; ſignificat potentiam, non præciſè, & in illo ſtatu, in quo tanquàm tabula nuda ſequitur animam, vt naturalis eius proprietas; ſed in illo ſigno, in quo iàm eſt formata ſpecie intelligibili; & operationem intellectualem re ipſa explicat. Cautè inquam D. Thomas hoc modo loquendi uſus eſt; Nempè animam illam eſſe melioris virtutis in intelligendo, quæ melius habet complexionatum corpus; & euitauit alteram illam loquendi formam; videlicet, ſecundùm diuerſitatatem conſtitutionis corporum, vnam animam eſſe melioris uirtutis ad intelligendum, quàm aliam; ne aliquis exiſtimaret, ipſum etſi pro meliori affectione non arbitratur animas rationales ſecundùm ſubſtantiam inæquales inter ſe eſſe; hanc tamen inæqualitatem in ipſis ex parte potentiæ intellectiuæ conſtituiſſe, quod valdè incommodum eſſet; Eo quia potentiæ naturales, qualis eſt intellectus humanus, naturali ſequela formam ſpecificam concomitantur; nec reperiri poſſunt perfectiores in vna eiuſdem ſpeciei forma indiuidua, quàm in altera; cùm ab eodē proueniant conſequentia ad formam, à quo forma prouenit; quæ cùm in nullo indiuiduo perfectior ſit, quàm in alio; nequè etiam proprietates, & potentiæ ſpecificæ perfectiores erunt in hac forma, quàm in illa. Sed ſi lubet pro vberiori huius rei declaratione, aliquantulum digrediamur.

Potentiæ naturali ordine ſequuntur formã.

Digreſſio.

Quatuor in anima reperiuntur inter ſe diuerſa.

In anima rationis participe, ſicut in alijs formis ſubſtantialibus

quatuor

quatuor reperiuntur, quorum vnum eſt aliud ab alio. Primum eſt Eſſentia animæ. Secundum, ſunt Potentiæ per quas ipſa eſſentia actiones naturales producit, vt ſunt in ipſa anima radicatæ, circunſcripto quocunque actu. Tertium ſunt ipſemet facultates, in illo ſigno conſideratæ, in quo, in actu operandi reperiuntur. Quartum ſunt ipſæ operationes, quæ ab ipſa potentia proximè, & à natura medijs facultatibus effluunt. Et ne diſtinctionem hanc, rerum iſtarum, minus probatam relinquamus.

Fieri non poteſt, vt eſſentia animæ non diſtinguatur à ſuis facultatibus; & ex conſequenti à facultate intellectiua; accipiendo huiuſmodi facultates non ſolùm vt ſunt in actione, ad quam ordinantur; ſed pro ſimplicibus facultatibus, ut ſunt in ipſa anima, quam natura ſequuntur; Cùm anima ſit ſubſtantia, facultates verò ſint qualitates, in ſecunda ſpecie. Cui fundamento adiungitur; quòd nulla Eſſentia, præter diuinam, eſt proximum operandi principium; quadere indiget facultatibus eius naturam conſequentibus, quibus medijs operationes proprias aſſequatur. Nulla enim eſt ſubſtantia, excepta diuina, quæ ſit ſua actio.

Eſſentia animæ diſtinguitur à ſuis potentijs abſolutè.

Sola eſſentia diuina eſt ſua operatio.

Hoc etiam conuincitur validiſſimis argumentis. Quia ſecundùm Ariſt. doctrinam 9. Metaphyſ. text primo, & libr. 12. tex. 26. Cum actus, & potentia ens inuicem diuidant, & quodlibet eius genus: ad idem genus uelit nolit, referenda eſt facultas, ad quod refertur actus. Attamen actus animæ accidentia ſunt; cùm id ſolùm primus actus ſibi uendicet, vt ſit ſuamet eſſentia; animam verò ſubſtantiam eſſe inficiari non poſſumus. Itaque omnino ſequitur facultatem animæ non minus eſſe accidens, quàm ſua operatio;

Rationes pro diſtinctione potentiarum animæ, et ipſius animæ.

tio;

tio; Et propterea non eſſe idem re ipſa cum anima natura.

Secunda ratio pro diſtinctione potentiarum, et animæ.

Vlterius natura animæ non eſt re ipſa, niſi una, eius verò facultates permultæ ſunt; quòd, ex hoc perſpicuum eſt; cùm de ratione facultatis ſit ordinari ad actum; actus verò ſunt plures; et ideò plures etiã tam neceſſe eſt eſſe facultates: alioquin, non quiuis actus à determinata facultate prodiret, ſed nullo diſcrimine; cuius cõtrarium ſenſus indicat. Et ſic cognoſcitur animam differre re ipſa, à proprijs facultatibus. Quod etiam ex hoc probatur. Quòd Anima eſt actus primus corporis; omnes verò facultates ipſius, nec corporis, nec partium eius ſunt actus; cùm aliquæ earum nulli ſint organo adiudicatæ. Nec fieri poteſt, cùm anima ſit forma, ſimplicisque naturæ, ipſam eſſe actum corporis, & ab ipſo ſeparatam, niſi ſecundùm diuerſa; quatenus, ut natura eſt actus, qui dat eſſe viuenti, ſecundùm uerò aliquam facultatem, qualis eſt intellectus, à corpore ſeiungitur.

Tertia ratio pro diſtinctione potentiarum, & animæ.

Quarta ratio diſtinctionis potẽtiarum, & animæ.

Adde, quòd idem, ſecundùm idem, nequit ſe ipſum mouere; ex Doctrina Philoſophi 8. Phyſic. Quare ſi anima eſſet idem, quod eius facultates; una facultas non moueret aliam. quod falſum eſt, ut docet Ariſt: 3. de Anima. Nempe phantaſiam mouere appetitum; Appetitum uerò aliam; & illam aliam &c. Mitto alias rationes, quæ pro hac opinione adduci ſolent; quarum plures apud Iand. inuenies in 2. de Anima; Quæſt. 9. hæc enim ſufficiunt, ut ſententia noſtra confirmetur.

Nec me latet Scotum, & Gregorium Ariminenſem. in 2. ſententiarum. diſtinct. 16. quæſt. 3., ab hac ſententia diſſentire, quorum rationes non eſt præſentis negotij recenſere, ipſaſque refellere. Tum

quia

quia ab alijs profligatas inuenies. Tùm quia hæc eſt mens D. Thom. cuius fundamenta in hoc progreſſu ſequimur. ut patet apud ipſum in prima parte; quæſt. 77. art. primo.

Adde, quòd etſi ſecundùm aduerſarios D. Thomæ ſuſtinere uelimus identitatem realem animæ, & facultatum, id non minus faueret rationi noſtræ, cuius finis eſt probare, facultatem intelligentiæ cum cæteris alijs facultatibus naturalibus, circunſcriptis earum operationibus, ab ipſiſmet facultatibus operantibus differre. Hoc inquàm rationi noſtræ faueret. Quia ſi eſſentia, & potentiæ non differunt, ratione à nobis expoſita, facilius inferri poteſt, naturam animæ, & cuiuſlibet formæ ſubſtantialis à ſe ipſa differre, ut eſt cauſa formalis, rem in actu primo conſtituens, & ut eſt principium actuum ſecundorum, à re ipſa in actu primo exiſtenti, productorū.

Quòd uerò poteſtates ipſius animæ differant inter ſe non operantes, & in operationem prodeuntes, id nobis aperit Ariſt. 2. de Anima. tex. 5.; ubi inueſtigando ſecundam partem diffinitionis animæ, antequàm concluderet Animam eſſe actum corporis, utitur hac diuiſione; Actum eſſe duplicem; alterun tanquàm ſcientiam, alterum tanquàm contemplationem; uel ſicut eſt ſomnus, & ſicut uigilia; & eius uerba ſunt hæc. Sed cùm perfectio, atque actus „ bifariam dicatur, ut diximus; quidam enim eſt ut ſcientia, quidā „ ut contemplatio, patet animam actum eſſe, perinde atque ſcientiā; „ Nàm ex eo quia anima ineſt, & ſomnus, & uigilia eſt, & uigilia quidem contemplationi, ſomnus autem ſcientiæ ab operatione uacanti ſimilis eſt; altera autem, alteram in eodem, ſcientia (inquam) „ generatione præcedit. Quapropter anima primus eſt actus, perfectioque

Potentiæ animæ differunt à ſeipſis, dum operantur, & dum non operantur.

,, *perſectioque corporis naturalis, potentia vitam habentis. Quare ſi ſecundùm Ariſt. Anima nõ operando æquiparatur ſomno, & operando vigiliæ reſpondet: neceſſe eſt, in uia noſtra fateri; Si anima differt à ſe ipſa agendo, & non agendo id præcipuè conuenire facultatibus ſuis. Cùm enim oppoſita debeant fieri circa idem ſubiectum, ſuperius uerò probatum fuerit, Animam interuenientibus facultatibus operationes ſuas producere; intercedentibus facultatibus ab operationibus ceſſabit; cùm facultates ſint proximum principium operationũ; & ſic ſimilitudo hæc proportionalis, qua Ariſt. vtitur in textu recitato, ſomni, & vigiliæ, ad animã non operantem, & operantem, potius conueniet ipſis facultatibus, quàm ipſi animæ; cùm huic non niſi per ſuas potentias tales rationes debeantur. Vnde Ariſt. 9. Ethic. cap. 11 inquit. Quòd potentia ad ope*
,, *rationem dicitur. Quàmobrem ſi operatio conuenit facultati, ipſi etiam conueniet quies ab operatione; cùm habeamus à Philoſopho.*
,, *5. Phyſic text. 20. Quòd quies eſt priuatio in ſuſceptiuo motus.*

Oppoſita circa idem ſiunt.

Et ſi apertè cognoſcere uolumus diſtinctionem hanc facultatum animæ, inter ſe, ut ſunt in facultate ad operandum, & vt ſunt in actu operationis, non eſſe figmentum à nobis excogitatum; ſed ab ipſomet Ariſtotil. demonſtratum: videamus ipſum in 2. de Anima. Text. 53. vbi cùm ſenſum potentiam dixiſſet, ne aliquis æquiuocationem committeret; non diſtinguendo ipſum ſenſum, vt eſt potentia animæ, eo modo, quo nos diſtinguimus; declarat, ipſum ſentire biſariam intelligi; vno modo pro facultate: quemadmodum uidere illum dicimus, qui eſt in potentia, ut videat, quàmuis re ipſa dormiat; & audire quàmuis in præſentia non audiat; altero

Probatio ex Ariſt. diſtinctionis potẽtiæ operantis, & non operantis.

modo

modo quando eſt in actu ſentiendi; vt cùm actu videt, audit, vel aliud agit. Et Ariſt. verba ſunt hæc. At verò quoniam ſentire „ bifariam dicere conſueuimus; nam & id quòd potentia videt, & „ audit, videre, audireque dicimus; & ſi forte dormiat, & id iden „ tidem; quod iam operatur, dupliciter, & ipſe ſenſus profectò dici- „ tur; quidam, vt potentia, quidam, ut actu; ſimiliter, & ipſum ſen- „ tire, & quòd eſt potentia, & quòd eſt actu. Et paulò inferius ip- „ ſemet Ariſt text. 55. explicaturus quid nàm facultatem ſentiendi in actum redigat; prius exponit, quot modis potentia dicatur, ut ad hanc rem ſpectat; dicitque aliquem dupliciter in potentia, dici ad ſentire; non ſecus ac etiam dupliciter dici poteſt in potentia ad ſcientiam. Primò cùm eſt in facultate remota, caretque habitu, & actu ſcientiæ; habet tamen animam, per quam eſt in potentia, vt ſcientiam acquirat; Altero modo, cùm etſi habet habitum, caret tamen actu; vt ſi euenerit ipſum dormire, vel alicui alij intendere; quòd his verbis demonſtrat. Nàm eſt hoc pacto quiſpiam ſciens, ut ſi dicamus hominem eſſe ſcientem, quia homo eſt talis ſuapte natura, vt ſit ſciens, atque ſcientiam habeat; Eſt etiam hoc pacto quippiã ſciens, ut hominem cùm iam dicimus eſſe ſcientem, qui Geometriam aut grammaticam habet, atque eorum uterque non eodem modo poteſt, potentiæque ſubijcitur; ſed alter quidem ex eo, quia genus ipſum eſt tale materiæ ſuæ. Alter verò propterea quòd cùm voluerit cõtemplari, poteſt id ipſum facere; niſi quid externum forte prohibeat, impedimentoque fiat. At præter ipſos eſt hiſce, qui iam contemplatur, & eſt actu propriè que ſciens. Hæc Ariſt. Qui etiam in hoc à Platone diſſentit; quòd Plato in Phædone, & Phædro, exiſtimat,

Eſſe in potentia dicitur dupliciter.

Opinio Platonis de ſcientijs animabus inſertis.

animas rationales in corpora humana cælitus deſcendere omnibus ſcientijs decoratas; attamen ex contagione corporum ſcientiarum obliuiſci, eisque formas rerum inſitas oblíterari. Quare in Phædone inquit. Si acceptis ſcientijs non ſemper obliuiſceremur; oporteret & cùm ipſis naſci, ſemper etiam per omnem vitam ſcire: nàm ſcire, ideſt; acceptum rei alicuius ſcientiam retinere, nec amiſiſſe. Huic inquam rationi aduerſatur Ariſt. ipſamquè in primo Poſteriorum exagitat. Quamobrem 3. de Anima.text. 14. intellectum humanum tabulæ raſæ comparat, dicendo. Potentia quodammodo eſt intelligibilia intellectus; ſed actu nihil eſt eorum antequàm intelligat; oportet enim ſic eſſe in intellectu ſicuti in tabula raſa, in qua nihil eſt ſcriptum; Quo fit, ut cùm ſecundùm Ariſt. intellectus ex ſui natura ſit in pura potentia intelligibilium, minimè negari poſſit, quin vt eſt re ipſa ſolùm intellectus, à ſe ipſo differat, vt ſub actu intelligendi reperitur; ſic enim aliquid reale includit, dùm aptatur ſpecie, per quam intelligit, quòd non includit, vt eſt merè intellectus; ſpecies enim quæ eſt ipſius actus, ab ipſo differt; potentia enim actu priuata, differt à ſe ipſa, ut actum induit. Nec me præterit, Henricum, Aureolum, & Bacconum negare ſpecies impreſſas intellectui, diſtinctas ab ipſa intellectione, contra D.Thom Scot. & Iandun.; quorum doctrinam in hac parte ſequimur. Nihilominus, poſito etiam, quòd tales ſpecies impreſſæ intellectui, non eſſent dandæ; adhuc cogerentur producti Doctores, fateri, ſaltem ratione, differre intellectum à ſe ipſo vt eſt in potentia ad actum intelligendi; & vt in tali actu exiſtit; cùm etiam Platonici, qui has ſpecies, non admittunt de nouo aduenire intellectui; velint intellectum

Intellectus humanus ſecundū Ariſt. ut tabula raſa.

Intellectus formatus ſpecie intelligibili differt à ſeipſo informi

Potentia ſine actu, differt a ſeipſa dum actui ſubeſt.

Intellectus ſecūdum Platonicos differt a ſeipſo, ut eſt in habitu et ut eſt in actu.

ctum humanum à ſe ipſo differre, vt friget ſub huiuſmodi ſpeciebus; & vt ſe in actum intelligendi explicat Et de tali Academica ſententia, poſſem per multas auctoritates adducere, ſed vna ero contentus, Marſilij Ficini, nobiliſſimi Platonis diſcipuli, in Theologia Platonica, libr. 11. cap 3. ubi inquit. Quemadmodum pars uiuifica per inſita ſemina alterat, generat, nutrit, et auget, ita interior ſenſus, & mens per formulas innatas quidem, & ab extrinſecis excitatas, omnia iudicant; Neque aliud quicquam eſt hoc iudicium, quàm tranſitus formulæ à potentia quadam in actum.

Ecce quomodo etiam Platonici diſtingunt ipſum intellectũ exiſtentem in potentia, à ſe ipſo exiſtenti in actu; quàmuis nouas ipſi non ſuperaddant ſpecies. Exiſtimant enim Platonici, hoc modo in homine fieri actum intelligendi. Nempè, quòd (ut hoc utar exemplo) cùm phantaſia per ſimilitudinem hominis in oculo impreſſam excitatur, tunc idolo formatur humano; quo fit, ut ſtatim humanæ ſpeciei exemplum, quod in arcanis ipſius mentis latitabat, ſtimulatum coruſcet. Quare iam mentis, vel rationis acumen actu format, quòd prius habitu formauerat. Et inde hominis idea formatur, ideſt ratione illa ideali, per quam homo producitur. Nec non ipſa mens, non aliter per hanc hominis formulam, humanæ adaptatur ideæ: quàm cera adaptatur figuræ, cùm ipſi annulus admouetur; Et hæc ſecundùm doctrinam Platonis vera eſt hominis intelligentia. Propterea diuinus Plato in conuiuio inquit. Animum diuinæ pulchritudinis amatorem, quando diuinas rationes attingit; tunc non amplius ſimulacra rerum, ſed res veras parere in ſe ipſo, partaſquè nutrire; familiarem Deo fieri; ac præ ceteris immortalem.

Actus intelligendi ſecũdùm Platonicos, quomodo in nobis fiat.

Et ſic probata eſt diſtinctio intellectus inter ipſum, circumſcripto actu intelligendi, & ſub tali actu exiſtentis.

Intellectio differt ab intellectu in actu intelligendi exiſtente.

Quòd verò actus intelligendi, qui eſt effectus ipſius intellectus differat non ſolùm ab ipſa facultate intelligendi nuda, ſed etiã ab ipſamet formata ſpecie intelligibili, qui quidem eſt ſtatus, in quo intellectus ſe habet per modum operantis; ex hoc manifeſtum eſt. Quòd ſi intellectio eſſet idem cum ipſo intellectu hac ſpecie actuato; eſſet etiam vnum, & idem cum ipſa ſpecie, per quam intellectui fit ipſum intelligibile in eſſe cognoſcibili; & ſic, quod eſt principium promouens ſpeciem; idem etiam eſſet intellectionis, quod eſt omnino falſum; cùm principium proferens huiuſmodi ſpeciem, ſit ipſum phantaſma, vnà cum intellectu agente; intellectio verò ab intellectu poſſibili producitur ſpecie intelligibili formato. Adde quòd unum, & idem eſſet productiuum ſui ipſius. Et quòd cauſa & effectus coinciderent in idem; Deniquè res hæc eſt adeò manifeſta, vt maiori non indigeat probatione.

Secunda ratio quòd intellectio differat ab intellectu in actu intelligendi exiſtente.

Eſſentia, Potentia abſoluté in actu, & operatio ſe habent ut prius, & poſterius.

Quàmobrem cùm hæc inter ſe ita ſe habeãt, ut operatio pendeat à potentia immediatè, potentia verò à naturà; ſe habent inter ſe, tanquàm prius, & poſterius. Et cùm prius poſſit intelligi ſine poſteriori, poterit forma conſiderari ratione ſolius eius eſſentiæ, nulla habita potentiarum ratione, potentiæ enim, quàmuis ſint ſimul tempore, ſunt tamen natura poſteriores ipſa forma. Quemadmodum: etiam poteſt ipſamet potentia intelligi, vt habet habilitatem ad actum, non conſiderando ipſam, vt actui ſubijcitur. Poſſumus quoque conſiderare talem potentiam, iam in actu exiſtentem, nulla habita ratione operationis ab ipſa producta; cùm operatio aliud ſit

quàm

quàm res, quæ operatur, prout effectus eſt aliud à ſua cauſa, non ſolùm ut eſt cauſa in potentia, ſed ut actu gignit effectum. Operatio namque eſt accidens à re operante producta; operari verò in ipſa potentia eſt modus ſuperadditus ipſi, exiſtenti in potentia ad operationem. Itaque ſi comparando indiuidua eiuſdem ſpeciei inter ſe, ut ſunt ſub ipſa ſpecie conſtituta ratione formæ ſpecificæ, & eſſentialis, rem in actu conſtituentis aliquis exiſtimauerit, D. Thomam, huius fuiſſe ſententiæ, (ne dicam dementiæ) uidelicet, quòd animæ rationis participes eiuſdem ſpeciei, ſint inter ſe inæquales, per aliquos gradus ad ipſam eſſentiam pertinẽtes; is profectò admodum à ueritate aberrabit; cùm (ut iam ſæpius à nobis probatum eſt) formæ eſſentiales nequeant augeri, uel diminui, eo modo, quo non poſſunt rationes numeri, nec per minimam quidem unitatem alterari, quin eorum uarietur ratio; Nam ſi nouenario unitatẽ addideris; non amplius nouenarium relinques, ſed denarium conſtitues, & ſi unitatem ab ipſo abſtuleris; nouenarium deſtrues, & octonarium produces. Et iam demonſtrauimus totam eſſentiã ſpeciei quibuſcunque, indiuiduis conuenire; & pro hoc id eſt nobis argumentum; quòd tota ratio ſpeciei de quocunque indiuiduo prædicatur in recto; Quare non ſolùm nequit eſſentia formæ ſubſtantialis, ut forma eſt, ab ea ſeiunctio quouis alio extra eius naturam, uarietatem per ſe in abſtracto ſubire; Sed nec etiam ut reperitur in indiuiduis, quorum unuſquiſque æquè participat totam rationem eius. Et ſic quælibet forma ſubſtantialis indiuidua eiuſdem ſpeciei, æquali modo ſuo fungitur officio, neque in hac parte una poteſt ſeparari ab altera, cùm nil aliud ſit eius munus, quàm cõſtituere rem

Margin notes: D. Thom. non exiſtimauit indiuidua eiuſdem ſpeciei differre ratione eſſentiæ. — Quomodo rationes numeri nequeant augeri, nec minui. — Forma eſſentialis nec etiam ut eſt in indiuiduis uariari poteſt. — Quælibet forma ſubſtantialis indiuidua æquè ſuo fungitur officio.

in eſſe

in eſſe ſimpliciter, quod eſt fundamentum omnium accidentium rei actu exiſtenti ſupraduenientium.

Contra Paulũ Soncinatem in expoſitione D. Thom.

Et profectò, non poſſum hîc non mirari; quomodo Paulus Soncinates, vir inter primòs D. Thomæ diſcipulos meritò exiſtimandus, cùm in hac re diſſentiat à cæteris D. Thomæ ſectatoribus; & non modò hãc opinionem de inæqualitate animarum falſam eſſe putet; ſed nec etiàm D. Thomæ adſcribendam; velit (vt patet apud ipſum. quæſt. 17. ſuper 8. Metaphyſ. in corp.) quòd quantò materia eſt magis diſpoſita, tantò magis participet formam; cùm forma ſit indiuiſibilis. Et ſicuti non magis participant denarium numerum decem uaſa aurea, quàm decem argentea, vel ænea; quàmuis diuerſa ſit materia eorum, ita nec vna, & eadem forma ſpecifica ſubſtantialis, poteſt à diuerſis indiuiduis eiuſdem ſpeciei inæqualiter participari, per inæquales materiæ diſpoſitiones; quæ quidē diſpoſitiones, ſunt accidētia, quæ cùm dent eſſe ſecundùm quid ſubiecto; præſupponunt illud conſtitutum in eſſe ſimpliciter, per formam ſubſtantialem; nec poſterius poteſt eſſe cauſa diſtinctionis, eius quòd eſt ipſo prius; & à quo pendet; & quod non pendet ab ipſo. Præſertim, quòd ſecundùm D. Thomam in prima part. quæſt. 76. art. 6. & 7. in corpore, & alibi, cùm anima intellectiua det homini eſſe ſubſtantiale, et ſimpliciter, fieri non poteſt ipſam medijs diſpoſitionibus corpori vniri.

Forma ſubſtantialis nequit magis participari ab vno, quàm ab alio per diſpoſitiones.

Anima non unitur corpori medijs diſpoſitionibus.

Accedit, quòd vt benè docet D. Thom. in prima part quæſt. 76. art 8. & primo ſent. diſt. 8. quæſt. 5. art. 3. & 2. cont. Gent. cap. 72. & libr. 4 cap. 67. & de Spirit. art. 4 & de anim. art. 10. & opuſc. 6. cap. 47. Anima eſt tota in toto corpore, & in qualibet eius

Anima eſt tota in toto corpore, & in omni eius parte.

eius parte: quapropter ſi tota recipitur à quocunque recipiatᷓ; non uideo quomodo Paulus intelligat, Animã rationalem, magis poſſe ab vno indiuiduo participari, quàm ab altero; non enim eſt ipſa Anima rationalis diuiſibilis, nec ſecundùm quantitatem, nec ſecundùm partes eſſentiales; vt declarat D. Thomas in locis allegatis; vt poſſit verificari hæc ſententia Soncinatis; nempè Animam magis participari ab vno, quàm ab alio; Sed relinquamus Soncinatem, & ſequamur inſtitutum noſtrum.

Si conſiderabimus quoquè potentias naturales ab ipſa forma prodeuntes, ipſamquè naturali ſequela concomitantes; fieri non poterit, vt tales potentiæ poſſint gradus aliquos perfectionis habere in hac anima indiuidua, quos in illa non habeant. Et hoc profectò validiſſimis rationibus demonſtrari poteſt. Nàm vulgatiſſima, & certiſſima eſt Philoſophorum ſententia; quòd (vt iàm diximus) qui dat formam, dat omnia conſequentia ad formam. Et ſic qui ab aliquo eandem accipiet formam æquis portionibus, vt omnia indiuidua eiuſdem ſpeciei, formam ſpecificam; ex æquo etiam facultates, & virtutes naturales ex ipſa forma manantes ſibi vendicabit.

Potentiæ naturales abſolutè conſideratæ nõ poſſunt intendi, nec remitti.

Prima ratio qđ potentiæ naturales nequeant intẽdi nec remitti.

Præterea potentiam hanc naturalem conſideratam extrà quæcunquè addita eius rationi, hoc argumento conuincitur non poſſe perfectiorem in vno indiuiduo eiuſdem ſpeciei, quàm in alio reperiri. Quòd potentia ordinatur ad obiectum attingendum per actum proprium. Quare cùm eadem potentia naturalis cuiuſcunque formæ, eundem habeat ordinem ad idem obiectum formale; nulla poterit aſſignari ratio, quare aliqua perfectio, maior reperiatur in vno indiuiduo

Secunda ratio, quòd potentiæ naturales abſolutè non intendantur, nec remittantur.

Eadem potentia naturalis æquè ordinatur ad ſuũ obiectũ in oĩb. ĩdiuiduis

uiduo eiuſdē ſpeciei, ſecundùm ipſam, quàm in alio; cùm non minus unum ipſorum per hanc potentiam ad talem ordinetur effectū, quàm aliud. Quod per inductionem nobis perſpicuū erit: ſi quamcunque potentiam cuicunque eius proprio obiecto comparabimus; Nàm cùm potentia uiſiua, per actum eius ordinetur ad colorem attingendum. Auditus ad ſonum, Tactus ad qualitates primas tangibiles, & per has ad ſecundas, Guſtus ad ſaporem, Odoratus ad odorem; non minus Potentia viſiua. Auditus. Tactus. Guſtus, & odoratus iſtius indiuidui ordinabitur ad prædicta eorum propria obiecta, quàm illius. Et hoc profectò tàm clarum eſt, vt nihil clarius.

Quiditas rei materialis eſt obiectum intellectus humani.

Pari ratione, in re noſtra, cùm obiectum potentiæ hominum intellectiuæ, dum intellectus coniunctus eſt, & in ſtatu huius vitæ (ſaltem motiuum) ſit quiditas rei materialis, ſecundùm D. Thomam in plurimis locis, & præcipuè in quæſt. prima art. 3. ſuper Boet. de Trinitate. Quæquidem quiditas lumine intellectus agentis ex phantaſmatibus abſtrahitur; & cùm poſſint à quibuſcunque hominibus, nullis orbatis ſenſibus, eadem haberi phantaſmata; ab eodem obiecto æquè moueri poterit, quicunque intellctus, & ad idē obiectum terminari, quod eſt ens; vt ens comprehendit omnes modos entis, quod eſt primum obiectum intellectus, dictum à Thomiſtis terminatiuū, ad differentiā quiditatis materialis; quam quidē motiuū obiectū uocant; per quā diſtinctionem, ſoluunt argumenta Scot. Aureoli, & Auerr contrà D. Thomam; qui quiditatem rei materialis obiectum intellectus noſtri conſtituit; quorum rationes, cùm non faciant ad rem noſtram, pertranſeo. Sed ſatis eſt mihi,

Ab eodem obiecto moueri poteſt quilibet intellectus humanus.

Ens eſt obiectū terminatiuū intellectus.

quemlibet intellectum humanum ab eodem obiecto moueri, & ad idem obiectum terminari; per quod optimè colligitur æqualem eſſe potentiã intellectiuã unius hominis, potentiæ intellectiuæ alterius; cùm vtraque ad idem obiectum æqualiter ordinetur.

Præterea, ſi potentiæ naturales formam ſubſtantialem naturali ſequela concomitantes, poſſent intendi, & remitti, hæc etiam ex hoc ſequerentur incommoda. Quòd qualitates ſecundæ ſpeciei intenderentur, & remitterentur; quod à doctrina Peripateticorũ eſt alieniſſimum. Daretur etiam, quòd in eadem ſecunda ſpecie qualitatis poſſet eſſe per ſe motus, quod reprobatur ab Auerr. 7. Phyſic. text. 20. Nec non ipſe Ariſt. hanc rationem diluit in primo de Anima. text. 61. pulcherrima hac comparatiòne; Quòd ſi ſenex acciperet oculum talem, non minus videret, quàm iuuenis. Cuius auctoritatis teſtimonio, manifeſtiſſimè infertur, potentiam uiſiuam iuuenis, & ſenis in indiuiſibili conſiſtere. Per quæ omnia cogimur fateri, non modò non poſſe formam ſubſtantialem conſideratam abſque aliqua eius naturali potentia, in hoc magis perfectam quàm in illo indiuiduo reperiri: Sed nec etiam id poſſe naturales potentias; vt habent eſſe in ipſa forma, tanquàm in radice, remoto omni actu; per quem in operationem prodeunt; quod etiam verificabitur de potentia intellectiua ipſius animæ, de qua in præſentia agimus, cùm & ipſa ſit potentia naturalis ipſius animæ; per legem illam Ariſt. vulgatiſſimam. Quod conuenit alicui tali in quãtum tale omni tali conuenire.

Tertia ratio q̃d potẽtiæ naturales abſolutè nõ intendãtur, nec remittantur.

Qualitates ſecũdæ ſpeciei non intendũtur, nec remittuntur.

In ſecunda ſpecie qualitatis nõ eſt motus.

Eadem eſt potẽtia ſenis, & iuuenis.

Si verò potentias has naturales conſiderabimus nõ amplius circonſcripto actu, ſed ut actui ſubſunt, tunc non erit abſurdum di-

Potentiæ naturales vt ſubſtãt actui poſſunt eſſe perfectiores in uno indiuiduo, quã in alio.

cere, tales potentias alicuius formæ eiuſdem ſpeciei, inter ſe comparatas, perfectiores, & imperfectiores eſſe; quiquidem gradus magis, vel minus perfecti, non conueniunt ipſi potentiæ ex ea parte, qua radicatur in anima, ſicut in eius principio: ſed ut maiori conatu, maiorique impetu vtitur ſua virtute, & ipſam operando patefacit. Cuius ratio eſt, quòd cùm operatio ſit actus ſecundus, qui præſuppnit rem conſtitutam in actu primo per formam ſubſtantialem, vtiquè poteſt in tali actu ſecundo, forma ſubſtantialis, his interuenientibus potentijs ſe maioris uirtutis præbere in hoc indiuiduo, quã in illo, etſi, vt eſt forma ſubſtantialis, non poteſt magis vnum conſtituere ſubiectum, quàm alterum. actus enim, per quẽ ſubiectum in eſſe conſtituitur eſt ſola forma; quæ cùm ſit indiuiſibilis per rationes ſuperius adductas, indiuiſibilem etiam producet actum.

Ratio cur potẽtia quæ actui ſubeſt poſſit magis vel minus perfecta dici.

Et quàmuis etiam potentiæ naturales, ut in ipſa forma habẽt radicem, nequeant intendi, nec remitti, quia nihil aliud ſunt, niſi habilitates quædam ad operandum; non eſt tamen abſurdum, vt dum habilitates iſtæ in actum prodeunt, virtute ipſius ſubſtantiæ maiorem virtutem demonſtrent in uno indiuiduo, quàm in alio per varias diſpoſitiones materiales inſeruientes ipſis facultatibus, ad virtutem hanc exprimendam. Quàmuis enim in me ipſo, cui natura denegauit uiſus acumẽ, facultas viſiua paruam in eius operatione uirtutem demonſtret; non tamen huiuſmodi facultas minus perfectè in me reperitur, quàm in Lynceo ipſo, et ſi impeditur ad validiorem operationem explicandam, per imbecillitatem oculorum, qui tanquàm inſtrumenta facultatis uiſiuæ neceſſariò ad uiſionem concurrunt. Et propterea benè dicebat Ariſt. in 2. de Anima, loco prius citato.

citato. Quòd non minus acutè videret ſenex, quàm iuuenis, ſi eodẽ inſtrumento vteretur, quo vtitur iuuenis in uidendo. Et propterea ipſemet Philoſophus libro 5. cap primo & ſecundo, de Genera: Animalium cauſam aſſignans diſcriminis oculorũ, et acuminis uiſus animantium, nec non auditus, & olfactus, tale diſcrimen, conſtituit ex uaria diſpoſitione organorũ quibus tales potẽtiæ utuntur in ſuis operationibus, & non ex parte ipſarum potentiarum, ut habẽt radicẽ in forma; ut in ſuo principio, quos locos cùm ſatis prolixi ſint, minimè hîc recenſere uolo; ſed uideat unuſquiſque pro ſuo arbitratu apud Philoſophum. Quare dicendum; effectum, qui prouenit ab aliqua ſubſtantia naturali, virtute ipſius potentiæ produci; defectũ verò ex ipſis inſtrumentis originem trahere. Nam quàmuis aliquis ex natiuitate claudus fuiſſet, non tamen potentia motiua, quæ eſt aptitudo ad motum eſſet minus perfecta in ipſo, quàm in alio nõ claudicante; Sed claudicatio hæc ex parte ipſius organi originem duceret. Poteſtates enim ſunt ſemper æquales in formis naturalibus; quàmuis effectus ex ipſis prodeuntes non æquales ſint. Etſi enim Heraclitus continuò flebat, Democritus verò continuò ridebat, non tamen Heraclitus minus erat riſibilis, nec magis flebilis, quàm Democritus; nequè hic magis riſibilis, & minus flebilis Heraclito.

Cauſa acuminis ſenſuum.

Naturalis virtus cauſat effectum. organum defectum.

Et ut rationem hanc uniuerſalem; nempè facultates naturales non poſſe intendi, neque remitti, ut habent eſſe in ſuo principio, quod eſt forma ſubſtantialis; ſed vt in operationem prodeunt, magis, uel minus perfectè earum virtutem aperire; Vt inquam rationem hanc uniuerſalem ad rem noſtram applicemus. Dicamus, facultatẽ intellectiuam animarum rationalium, quæ eſt naturalis earum proprietas,

Potentia intellectiua non magis eſt perfecta in uno indiuiduo, quàm in alio.

prietas, ut fluit ab ipſa anima, tanquàm à ſuo principio non poſſe in vno indiuiduo magis perfectè reperiri, quàm in altero. Sed quidem poſſe dùm eſt in actu, ideſt in eius propria operatione magis uigere in hoc indiuiduo, quàm in illo, ratione diſpoſitionum materialium, & organorum corporalium, quæ ipſi animæ ancillantur; non quòd intellectus ſit adiudicatus organo corporeo, nec de potentia materiæ eductus; Sed quia fieri non poteſt, vt intellectus noſter in ſtatu iſtius humanæ vitæ, quo corpori, paſſionibus obnoxio coniungitur, aliquid actu intelligat, niſi ſe ad phantaſmata conuertat. Id enim ex hoc ſigno apparet. Nam cùm ipſe penitus ſit immaterialis, nullo organo corporeo vtens; nullo modo impedimentum, neque læſionem pateretur, læſo aliquo corporeo inſtrumento, ſi eius actus nullo indigeret actu alicuius potentiæ, organo corporeo alligatæ. Nihilominus ſæpe experimur, quòd impedito actu ipſius imaginatiuæ, et memoratiuæ propter aliquam organi læſionem, impeditur homo ab intelligendo, ea ipſa etiam, quorum prius ſcientiam acquiſiuerat; vt phreneticis, & lethargicis euenit, cuius ratio eſt; quòd proprium obiectum intellectus (ſaltem motiuum) vt ſupra diximus, ex doctrina D. Thom inter cætera loca, præter citatum; prima part. quæſt. 84. artic. 7. in corpore, eſt quiditas, ſeu natura in materia corporali exiſtens, per quam ad inuiſibilia cognoſcenda aſcendit, cuius naturæ exiſtentia non niſi in aliquo indiuiduo reperitur, quod non ſine naturali materia exiſtit; quemadmodum de ratione naturæ hominis eſt, quòd ſit in hoc homine, & de natura leonis, in hoc leone; Quo fit, vt cogatur

Intellectus viatoris non intelligit niſi ſe côuertendo ad phantaſmata.

Naturæ materialis exiſtentia eſt tantùm in indiuiduis.

tur intellectus ſe ad phantaſmata conuertere; vt naturam vniuerſalem, quæ eſt obiectum eius proprium ſpeculetur, eo quia natura vniuerſalis in his particularibus exiſtit. Quapropter etſi intellectus non indiget organo corporeo, cui alligatus ſit, ad eius operationem explendam, indiget tamen phantaſia, per quam ſibi præparentur phantaſmata, vt intelligat; non enim ſine phantaſmate hoc munere fungi poteſt; talia enim phantaſmata comparantur ad intellectum, vt colores ad viſum. Et propterea inquit Philoſophus. 3. de Anima. text. 30. Nequaquàm ſine phantaſmate intelligere animam. Et in hac re, dicit Albert: in primo. de Anima tractatu primo. capit. 6. Quòd et ſi anima in ipſo intelligere non communicat corpori, communicat tamen ei, quod communicat corpori. Licet enim intelligere non expleatur motu, vel paſſione alicuius membri corporalis, non tamen ſine acceptione formæ ſenſibilis, & imaginabilis per ipſam phantaſiam expleri poteſt, quæ communicat corpori; cùm eius operatio abſque motu, & paſſione organi corporei in actum prodire non poſſit. Et ſic per talem cauſam, poteſt una potentia intellectiua, quæ ex ſe, vt eſt proprietas naturalis animæ, nequit magis, & minus ſuſcipere, in actu operandi, qui eſt intelligere, perfectior eſſe in hac anima indiuidua, quàm in illa, & in vna, & eadem anima, quandoquè maiorem virtutem explicare, quandoquè minorem, per varias diſpoſitiones organorum ſenſitiuarum potentiarum, quarum potentijs indiget; quæ quidem potentiæ ſecundùm Ariſt. in 2. de Anima text. 32. et ſi ratione differunt, ſunt tamen idem ſubiecto, cum organo naturali; Quo fit, vt pro varia organorum affectione non

Anima intelligendo communicat ei, quod cõmunicat corpori.

Cur poſſit intellectiua potentia magis vigere in hoc, quàm in illo.

Potentiæ ſunt idem ſubiecto cum organo, ſed differunt ratione.

non uno modo, ſed non magis, & minus perfectè, inſeruiant faculta tes ſenſitiuæ huic intellectui, quàm illi; & ſic unus intellectus maiorem in intelligendo uirtutem præſeferat, quàm alter.

Probatio per Ariſt. diſtinctionis potentiæ operantis, à ſe non operante.

At ne quis exiſtimet diſtinctionem hanc meam, inter facultatem animæ, tam intellectiuam; quàm ſenſitiuam, circunſcripta eius operatione, & ipſam met operantem, figmentum eſſe; Videamus quid de hoc dicat Ariſt. 2. de Anima. text. 4. 5. & 6. Ibi cùm intentionem ſuam propoſuiſſet; per quaſdam diuiſiones animæ definitionem inueſtigando, priuſquàm animam eſſe actum corporis concluderet, actum in duas ſecat rationes; vt appareret, in quo ſenſu in definitione ipſius animæ eſſet intelligendus, & inquit. Actus dicitur dupliciter, alius quidem ſicut ſcientia, alius ſicut conſiderare. Manifeſtum ergò quòd ſicut ſcientia; nam exiſtente in corpore anima ipſa, & ſomnus, & vigilia eſt; proportionale autem vigilantia quidem ipſi conſiderare; ſomnus autem ipſi habere, & non operari. Prior autem in generatione in eodem ſcientia eſt; Vnde anima eſt actus primus corporis phyſici potentia vitam habentis. Hæc Ariſt. Ex quibus verbis infertur quòd ſicut habens ſcientiam habitu, poteſt ipſa actu non vti, & poteſt per ipſam in actum prodire, & animal habens facultatem ſentiendi, poteſt dormiendo ab eius actu vacare, & ea vigilando vti, ita etiam, habens animam cum facultatibus ad ipſam requiſitis, poteſt quandoque ipſis non vti, quandoque verò per ipſas operari; Quo fit, vt ſicuti homo habens ſcientiam, & per ipſam non ſpeculando, differt à ſe ipſo, vt actu ſpeculatur; & dormiens differat à ſe ipſo vigilante. Eadem

ratione,

ratione, facultates animæ, quæ poſſunt actum producere, ipſum tamen non producunt differant à ſe ipſis, vt ſub tali actu reperiuntur. Quapropter in definitione ipſius animæ ab Ariſt. aſſignata dicitur. Quòd Anima eſt actus primus; ad differentiam actus ſecundi, qui habet proportionem ad primum, quam habet ſpeculari ad ſcientiam, & vigilia ad ſomnum; & ſic differt ab ipſo, vt ſpeculari à ſcientia, & à ſomno vigilia. Quiquidem actus primus eſt ille, per quem animal conſtituitur in eſſe, nullo alio adiuncto; & poteſt abſque ſecundo intelligi, tanqnàm ipſo poſteriori tempore, & ratione. Et ideo Ariſt. vt diſtingueret in anima actum hunc primũ à ſecundo; ſubiungit. Quòd Anima eſt actus corporis potentia vitã habentis. Quæ vita non intelligitur pro actu primo, ſed prq actu ſecundo; videlicet pro operationibus vitalibus, ad quas eſt in potentia actus primus, ſicut ſcientia ad ſpeculationem; non enim tale corpus organicum, eſt in potentia eſſentiali vt ſemen; ſed in poteutia accidentali; cùm habeat quidem animam, ſed ſit in potentia ad operationes ipſius; vt augeatur, uel minuatur; ſicut quòd eſt calidum, dicitur in potentia, vt calefaciat. Et quòd talis uita accipiatur pro huiuſmodi actu ſecundo, teſtatum erit conſideranti; Quòd eo modo ſumit uitam in definitione, quo fuit declarata in præcedenti textu; ubi pro operationibus ſumpta eſt; ut ibi uideri poteſt. Adde, quòd ridiculum eſſet dicere. Anima eſt forma corporis, quod potentia habet animam. Nam ſic magis obſcura fieret ipſa definitio; & melius definiret per compoſitum cum operationibus, quæ notiora ſunt. Eſt enim ſenſus. Anima eſt forma corporis illius naturalis, quod per ſe nutritur,

Quis ſit actus primus.

Quomodo intelligatur uita poſita in definitione animæ.

tur, & operatur. Quare cùm duplex actus in hac definitione contineatur, primus nẽpe: qui eſt forma ſubſtantialis, cui reſpondet potentia ſimplex; & actus ſecundus, cui reſpondet potentia, ex actu primo, & materia conſtituta; non incommodum eſt. quòd duo indiuidua unius ſpeciei, per actum hunc ſecundum differãt inter ſe; per primum autem differre nequeant; non ſecus, ac aliquis dormiens, nõ differt dormiendo ab aliquo alio dormiente; ſed benè ut uigilans ab aliquo uigilante poteſt differre; per illas operationes, quæ uigilando ab utriſque fiunt.

Indiuidua vnius ſpeciei poſſunt differre inter ſe per actũ ſecundũ etſi per primum non diſferunt.

Et, ſi fortaſſe aliquis exiſtimaret progreſſum hunc meum falſum eſſe; Quia ipſe diſtinguo facultatem inter ipſam non operantem, & in operationem prodeuntem. Ariſtotil. uerò non includit in definitione animæ, niſi formam conſtituentem animal in eſſe, in potentia ad operationem nulla habita huiuſmodi facultatis animæ ratione; & ſic non poſſe ex auctoritate Ariſt. aliam diſtinctionem formari, niſi inter animam non operantem, & animam operantem. Id in uia Scoti nihil obſtaret; qui facultates non diſtinguit à formis ſubſtantialibus, tamẽ, etiã in uia D. Thomæ, ex diſtinctione hac animæ non operantis, & animæ operantis, eadem infertur diſtinctio facultatis ab operatione uacantis, & ipſius in operationem prodeuntis; cùm facultates naturales naturali ſequela comitentur formã. Et ſi anima, quæ eſt forma conſideratã, ut ſe habet per modum dormientis, & per modum uigilantis, hanc etiam conſiderationem de ſuis naturalibus potentijs facere oportebit; eò magis quòd in uia D. Thomæ forma ſubſtantialis, non per ſe, ſed intercedentibus ſuis potentijs proprias operationes producit; & ſic non erit

Scotus non diſtinguit formam à ſuis potentijs.

abſurdum

abſurdum dicere in re noſtra; potentiã intellectiuã animarũ rationaliũ poſſe pfectiorẽ in hac aĩa dici, quã in alia, in ſtatu ſuæ operationis, quãuis ei circũſcripta ꝓpria operatione id cõuenire nõ poſſit.

Ex hac naturalis potentiæ differentia, magis vigentis in vno indiuiduo eiuſdem ſpeciei, quàm in altero, vt talis facultas actui ſubeſt, prouenit diuerſitas effectus ab ipſa facultate producti; nẽpe quòd unus, et idẽ effectus eiuſdẽ ſpeciei perfectior ab hoc indiuiduo exeat, quã ab illo, ratione maioris conatus, quo facultas iſtius indiuidui ipſum promouens, in actum prodit, quàm facultas illius. Sic etiam in re noſtra accidit; quòd intellectio vnius hominis perſpicacior eſt; quàm intellectio alterius; quæ res, eſt tam aperta, ut in ea laborandum non ſit.

A diuerſitate potentiæ in actu exiſtenti prouenit diuerſitas effectus.

Quamobrem ex prædictis patet, quæ differentia ſit inter formam ſubſtantialem, & eius potentias, & actus, ab ipſa forma, intercedentibus potentijs productos; & quòmodo ipſæ facultates differant à ſeipſis, ut conſiderantur remota omni operatione; & vt operationis actui ſubſunt. Regrediamur tandem, unde digreſſit oratio.

Volens D. Thomas rationem reddere; cur unus homo eandem rem melius intelligat altero; etſi hãc, ex parte intelligẽtis aſſignat; nõ tamẽ exiſtimet, differẽtiã hanc procedere à diuerſitate animarũ rationaliũ, ſecundùm earum naturã; id enim omnino falſum eſt; & hoc non ſolùm opinari, ſed ne quidem ſuſpicari potuit D. Thomas; cum (vt iam millies dictum eſt) formæ rerum æquiparentur numeris; quorum rationes variantur minimà vnitate eis addita, uel ſubtracta, quod etiam præter alias auctoritates Ariſt. quas alibi adduximus, videtur ipſe innuere. 8. Met. text. 10. ubi inquit, Sex

D. Thom. non adſcribit diuerſitatem modi intelligendi naturæ ipſius animæ.

,, *ſemel eſt ſex, non eſt bis tria, nequè ter duo: ſubſtantia enim uni-*
,, *uſcuiuſque quod ſemel. Quare ſicuti duæ ſpecies numerorum, non æqualiter ab unitate diſtant; nec etiam duæ ſpecies rerum à primo principio, quod eſt ſummà unitas æquali gradu diſtare poſſunt. Pro cuius rationis confirmatione eſt auctoritas ipſiuſmet Ariſt. in primo Cœli, text. 10. ubi teſtatur. Eſſe, & uiuere communicatum eſſe omnibus, his quidem clarius, illis uerò obſcurius; & ad hoc propoſitum Auerr. in 2. Cœli com. 63. inquit. In hoc ual de diuerſas reperiri rerum diſtantias. Ratio autem, quia fieri non poteſt, eandẽ ſpeciem nũc magis, nunc minus intendi, et remitti, eſt; quòd ſecundùm Ariſt. 10. Met. text. 24. genus non diuiditur, niſi per contrarias diſtantias; quæ quidem contrarietatum oppoſitio, ut ibidem teſtatur Ariſt. reducitur ad oppoſitionem priuationis, & habitus, ut apud eundem Philoſophum uideri poteſt loco producto, tex. 11. & conſequenter gradus unus eſſentialis differens ab alio, comparatur ipſi per modum priuationis, & habitus. Quo fit, ut magnam implicet contradictionẽ, quòd ſint aliqua indiuidua ſecũdum tales gradus inter ſe diuerſa, & ſub eadem ſpecie contenta.*

Quare eadẽ ſpecies nõ poſſit intendi, uel remitti.

Nec minus potuit D. Thomas differentiam hanc, ſcilicet, quòd unus homo melius eandẽ rem intelligat, quàm alter ex parte ipſius facultatis intellectiuæ ſtatuere; accipiẽdo huiuſmodi facultatẽ, ut eſt quadã proprietas ab anima effluẽs, & ipſam naturali ratione cõſequẽs, circũſcriptis quibuſcũquè actionibus, & attributis huic facultati extrinſecus accidẽtibus. Hanc inquã differentiã ex parte intelligentiæ humanæ, in qua nihil adhuc deſcriptum ſit, aſſignare non potuit per rationes, quas ſuperiùs adduximus. Attamẽ D. Thomas

D. Tho. ex parte intellectiuæ facultatis diuerſitatem intelligendi abſolutè non ſtatuit.

talem

talem differentiã; nempe, quòd hic homo hanc rẽ perſpicacius intelligat quàm ille, facultati intellectiuæ adſcribit, ut eſt ſub actu intelligendi, qui actus eſt attributũ, intellectui ſuperueniens; et extra rationem ipſius. Sed quia operæprecium erat, non modo D. T. homã iſtius differentiæ; nempè, quòd alter altero rem unã perfectiori modo intelligendo attingat, proximam cauſam reddere; uidelicet, quia unus in facultate intelligẽtiæ in illo ſigno, in quo poteſtas intelligẽdi iã rei intelligẽdæ ſpecie formata reperitur, excedit; & ſic liberius, & perſpicacius alter altero in actũ intellectionis erumpit: Sed etiã hanc cauſam proximam in remotiorem reducere; ipſam in affectionem corporis reſoluit; per quam eueniet, ut iuxtà eius diuerſitatem unus homo magis polleat ingenio, quàm alter, teſte Ariſt. dicente. Molles carne aptos mente, & ingenio uideri. Et propterea D. Thomas proportionali hac utitur comparatione. Quòd quemadmodum in his quæ ſunt diuerſorum generum, ea ſortiuntur meliorem animam, quæ melius conſtitutum habent corpus; ità etiam inter homines, ille animam habet maioris uirtutis in intelligendo, qui melius affectum habet corpus. Quæ uerba hoc modo ſunt intelligenda. Illum eſſe maioris uirtutis in intelligendo; ideſt maiori conatu in actum intelligentiæ prodire: qui habet corpus melius affectum; cùm in ſua operatione indigeat adminiculo potentiarum ſenſitiuarum; quæ poſitæ ſunt in organo corporeo; & ad meliorem huiuſmodi organi conſtitutionem, melius animæ inſeruiunt: meliùſque ſuo fungũtur munere. Nec per uerbũ illud VIRTVTIS intelligit D. Thom. facultatem intelligentiæ, ut eſt proprietas procedens ab anima, tanquàm principio ſuo naturali; nam (ut iam probatum eſt ſuperius

Ex qua parte d. Tho. intelligendi diuerſitatem hominibus ſtatuerit

Quæ ſit cauſa remota diuerſitatis intelligendi hominibus.

Proportionalis D. Thom. comparatio.

Expoſitio uerborum D. Thomæ.

Quid per verbum virtutis intelligat D. Thomas.

in digreſſione noſtra, id nequit aliquo pacto fieri; cùm proprietates rerum æquè conueniant omnibus indiuiduis ſub eadem ſpecie contentis. Sed per virtutem animæ in intelligendo, intelligit D. Thomas poteſtatem ipſam intelligendi, cùm hoc attributo; quòd per modum operantis ſe habeat, & non per modum facultatis aptæ ad operandum. Et hic ſenſus conſonat uerbis D. Thomæ: ſi nomen hoc VIRTVTIS. ex parte ipſius intellectus teneri voluerimus; quamuis etiam poſſemus dicere; quòd D. Thomas, per hæc verba. Illa anima eſt maioris virtutis in intelligendo, quæ melius ſortitur affectũ corpus, intelligat; Illam animam meliorem effectũ intelligendo producere, quæ melius compoſitum informat corpus. Adeò quòd nomen hoc VIRTVS ſe teneat ex parte intellectiõis; qui ſenſus cõcordabit etiam cũ doctrina D. Thomæ; qui per uirtutẽ quandoque intelligit actũ à uirtute prodeũtem; ut patet per ipſum in prima ſecũdæ quæſt. 55. art. primo ad primam; his verbis. Quandoque uirtus dicitur, id quod eſt uirtus; ſcilicet vel obiectum, uel actus eius, ſicut fides dicitur, quandoque id quod creditur; quandoque verò ipſum credere; quandoque autem ipſe habitus, quo creditur. Hæc D Thom.

Alia expoſitio uerborũ D. Th.

D. Th. per virtutem quandoque intelligit actum à virtute productum.

At dicet aliquis, quàm incommoda eſt hæc D. Thomæ comparatio; Quòd quemadmodum inter plantas, & bruta, quæ ſunt diuerſorum generum, ſi inter ſe comparentur, illa meliorem habent animam, quæ melius diſtributum habent corpus: Pari ratione inter homines ille in actu intelligentiæ vigore alteri præſit, qui melius habet affectum corpus, ſi nec Bruta, nec Plantæ rationis participes ſunt, Homo verò rationis eſt compos, atque intellectus particeps. Habemus enim ab Ariſt. 7. Phyſic. text. 24. quòd

Obiectio contra D. Tho. comparationem.

Comparatio nõ eſt in æquiuocis

quòd comparatio non eſt in æquiuocis. Et Auerr. dicit. 10. Metaphyſ. com. text. 14. & in 7. Phyſic. text. 27. comparationem non accidere inter ea, quæ ſunt diuerſorum generum. Optimum argumentum. Non tamen caret ſolutione. Pro quo ſciendum in primis; quòd non ſemper comparationes fiunt inter ea, quæ ſunt ſecundùm eandem penitus rationem ſimilia; ſed ſolent quandoque fieri quædam ſimilitudines ſecundùm analogiam; vt ſi Rectorem ciuitatis Rectori nauis comparemus. Non quòd Rectori ciuitatis ſit æqualis in regimine Rector nauis. Sed quia Rector nauis ità ſe habet ad nauem gubernandam, ſicuti Rector ciuitatis ad ciuitatem ipſam regendam, Et huiuſmodi comparatione vtitur Ariſt. 2. de Anima text. 5. comparando animam ut eſt actus primus corporis dormienti, & ut operationis explicat uigilanti. Simili modo D. Thomas, proportionali hac utitur ſimilitudine. Quòd ſicuti inter animata diuerſorum generum, uel diuerſorum ſpecierũ illa ſortiuntur meliorem animam, quæ melius habent diſtributum corpus; ita inter homines ille animam habet melioris uigoris in intelligendo, qui melius habet diſpoſitum corpus; in qua ſimilitudine, non eodem modo accipit D Thomas animæ bonitatem in his, quæ ſunt genere uel ſpecie diuerſa, quo accipit in hominibus, in eadem ſpecie contentis; Illic enim accipit bonitatem ex parte actus primi, qui eſt forma ſubſtantialis. Hîc verò ex parte actus ſecundi, qui eſt operatio ab actu primo emanans. Qui duo actus ſecundùm Alexandrũ in Paraphraſi; cap. 3 vbi animã eſſe formã corporis ſuſtinet; ſic differunt; quòd actus primus eſt habitus, ſiue poteſtas; actus uerò ſecũdus, eſt habitus à poteſtate perfectus. Idẽ Simplicius, Ammonius,

Solutio obiectionis contrà D. Thomam.

Comparationes quãdoque fiunt ſecundum analogiam.

D. Thomæ comparatio ſecundũ analogiam.

Actus primus, et ſecundus quid ſint, & quomodo diffrant.

nius, & Albertus, quæſt. de homine, & omnes ferè latini ſentiunt. Comment. autē, actū primum formā ipſam nominat, circunſcripta operatione; actum verò ſecundum formā in operationem prodeuntē; cui ſententiæ Themiſtius aſſentiri uidetur. Et ſic haud quaquàm eſt inutilis hæc D. Thomæ comparatio. Nam hoc modo ſatis commodè procedit. Nempe ſicuti ſe habet in actu primo Anima iſtius Animati, ad animam illius, diuerſi genere, vel ſpecie ab ipſo; ita ſe habet in actu ſecundo, anima iſtius hominis ad animam illius. At illud animatum ſortitur animam meliorē in actu primo, quàm illud, quod eſt ab eo genere diuerſum: ſi melius affectum ſortiatur corpus; Ergò hic homo potiorem habebit animam in actu ſecundò, quàm ille ſi melius eo conſtitutum habuerit corpus.

Quomodo procedat D. Thom. comparatio.

Obiectio.

Hîc forſitan aliquis, non ab re nobis obijceret. Quî fieri poſſit, ut Animæ rationis participes, in actu ſecundo, videlicet in ſua operatione, quæ eſt intelligere inter ſe differant pro varijs corporum conſtitutionibus, quibus ipſæ vniuntur; cùm in actu primo conueniant, per quem exiſtentiam nanciſcuntur; & vnumquodque ita ſe habeat ad operari, quòd eſt actus ſecundus, ſicut ad ipſum eſſe, vel exiſtere (hîc enim vtrumquè in eadem ſignificatione accipimus) quod eſt actus primus, præſertim cùm tales animæ ſint materiæ expertes, & indiſſolubiles; corpora verò materialia, & diſſolubilia: nec poteſt corpus inficere intellectum, qui eſt facultas, qua homo proximè in actum intelligendi prodit, cùm eius eſſe ex materiæ gremio non ſit eductus, nec ab ipſo corpore pendeat, vt ſecundùm eius variam affectionem magis, aut minus in intelligendo vigere poſſit.

Huius

Huius argumenti in dogmate Platonis eſſet fortaſſe non admodum facilis ſolutio. Sed in doctrina Ariſt. facillimè ipſum euertere poſſemus. Et quàmuis fruſtrà videatur, huius ſolutionem ſecundùm Academica dogmata tentare; cùm in progreſſu noſtro per calles Peripateticos incedamus. Attamē ſaltē exercitationis cauſa, illud in vtriuſque placito diluere, non erit inutile. Et ut à Platone exordiamur.

Difficultas apud Platonē ad ſoluendum obiectionem.

Difficultas eſt hæc apud Platonem ad ſoluendum huiuſmodi argumentum; nempè quòd ideo ratione corporis, vna animarum rationalium maioris virtutis in intelligendo, eſſe nequit, quàm altera; quia unūquodque ita ſe habet ad operari, ſicut ad eſſe, Quare cùm anima, non pendeat à corpore ſecundùm eſſe, neque etiā ab ipſo ſecundùm modū operandi pendebit; Difficultas inquā ſolutionis huius argumenti apud Platonem hæc eſt Quòd Plato non facit ex anima, & corpore unùm per ſe, ſicut Ariſt., ut poſteà dicemus: nec exiſtimat Animam per ſe coniungi corpori, quo aliqua perfectio nobiliori eius parti, quæ eſt intellectus compareturi; ſed quaſi fortuitò, & quodāmodo à natura ſua degenerans ad corpus accedere. Putat enim animā non eſſe formam corporis, nec ipſi ineſſe, vt Peripatetici exiſtimant; ſed eſſe ſubſtantiam in ſe completam, & corpori, tanquàm reginam aſſiſtere. Quàmobrem, ſi ipſa eſt hoc aliquid; nec ex ipſa, & corpore fiat una natura ex duabus partibus eſſentialibus conſtituta; à ueritate abhorrens eſt; ipſam in operatione ſua, naturam corporis ſequi; cùm quo nullam rē habeat communē. Nec me latet à Platonicis poſſe rationem quandam aſſignari; quare vnus homo magis efficax ſit in intelligendo, quàm alter; quæ quidem

Plato non facit ex anima, et corpore vnum per ſe.

Plato animam non conſtituit formam corporis.

dem ratio à Peripateticis non admitteretur; nec ſatis compertum habeo, an ſit ſecundùm ipſius Platonis ſententiam. Quinetiam hæc ratio nodum non ſolueret. Hanc rationem redderet fortaſſe aliquis Platonis diſcipulus; quòd ideo inter hominum animas alia alij intelligendo præſtet, quia etiam tales animæ inter ſe differunt ſpecie; et ſic nullum oritur incommodum, quòd vna ſit maioris virtutis in intelligendo, quàm altera; cùm etiam ſit maioris perfectionis ſecundùm naturam, quàm altera. Cùm pariter apud Theologos non minus differant in virtute intelligendi Angeli, quorum vnuſquiſque (ſecundùm D. Thomam) vnam ſpeciem conſtituit, quàm in gradu ſpeciei; ille enim per pauciores, & magis generales ſpecies intelligit, qui magis accedit ad primum actum vnum, & ſimpliciſſimum; Et hæc ratio videtur fulciri verbis Platonis in Timæo; ubi inquit. Toto igitur omni conſtituto; ſyderibus parem, numerum diſtribuit animorum; & ſingulos adiunxit ad ſingula; atque ità quaſi currum vniuerſitatis impoſuit. Et idem dicere videtur Plotinus libr. 2. Ennead. 3 cap. 18. his verbis. Animæ autem meliores, vel deteriores partim quidem ob alias cauſas, partim verò uelut ab initio non omnes æquales: Hæ namque competenti proportione vniuerſæ congruunt rationi; ſiquidem in ratione, & in animarum genere in partes inæquales facta eſt diſtributio; ſuper quem Plotini locum inquit Marſ. Ficin: Quamobrem animas hominum Platonici ſpecie colligunt ſubalterna; in qua multæ ſunt ſpecies (vt ita loquar) ſpecialiſſimæ multa quoque ſub ſpecie qualibet indiuidua, adeoquòd vt animæ quædam inter ſe naturaliter ſimillimæ, & amiciſſimæ ſint, aliæ verò contrà. Hæc Marſil. Sed (pace

Quid pro obiectionis ſolutiõe poſſet à Platonicis aſſignari.

Angeli ſic differunt in modo intelligendi, ut in gradu naturæ.

tanti

tanti viri dixerim) Hæc opinio nec Platoni, nec Plotino verè adſcribitur. In Timæo enim, per verba Platonis non poteſt colligi hæc concluſio, quòd hominum animæ inter ſe differant ſpecie. Nā per hoc quòd ipſe Artifex diuinus in mundi cōſtitutione, tot animas produxerit, quot ſunt ſydera, non infertur; quòd tales animæ differant ſpecie; ſed quòd numerus earum reſpondeat numero ſtellarum. Nec huic opinioni ſuffragaretur hæc ratio; quòd ſydera ſecundùm Platonem differant ſpecie, quia nihil obſtat, quin numerus indiuiduorum eiuſdem ſpeciei poſſit comparari numero plurium ſpecierum. Et pro hac ratione eſt locus notandus Chalcidij, ſuper verba illa Platonis in Timæo; quæ ſubduntur iam prænarratis: & ſunt hæc: Sed cùm duplex eſſet natura generis humani, ſic res habebat; vt præſtantius genus eſſet eorum, qui eſſent futuri viri: hæc Plato. Vbi inquit Chalcidius. Et porrò melior ſexus virilis; muliebris inferior; non quò ſit aliqua in animis differentia; vna eſt quippe natura; ſed diuerſitas tamen in ſexu eſſe debuit, caduca mortalitate, partus, ſubſtitutioniſquè deſiderante. Deniquè, cùm vna, eademquè virtus ſit maris, & fæminæ, corporum tamen ipſorum diuerſæ vires ſunt; cùm eorum alterum calidius, denſiuſquè; alterum ſit frigidius, & rarius. Et contra hanc Marſilii rationem eſt auctoritas Beſſarij Cardinalis viri inter cæteros Platonicos ſummæ auctoritatis in omni facultate, & diſciplina: qui in 2. libr. cap. 7. contra Trapezuntium inquit. Animæ autem triplex genus eſſe conſtituit, cæleſte, genitale, & humanum. Primo generi, omnium rerum ſcientia, Plato tribuit; quòd in cæleſtibus locat; Secundo opinionem rectam; quod in Genijs

Contrà Marſilium Ficinum, quod ſecundum Platonem animæ humanæ ſpecie non differāt.

Chalcidij auctoritas cōtrà Marſilium.

Beſſarij auctoritas contrà Marſilium.

aſſignat (Dæmones enim hoc nomine latini uocant.) Tertio generi, ancipitem opinionem, quæ partim recta, partim non recta habetur, hominibus præſcribit. Hæc Beſſario. Et iſtæ ſunt animæ, quas Plotinus inæquales exiſtimat in loco, quem produximus. Et con firmatur hæc opinio contra Marſil. Ficin. quem Franciſcus Cattaneus in hoc ſequitur, in ſua enarratione in Sympoſium Platonis; id eſt, quòd qualibet hominum anima unam conſtituat ſpeciem; per ea, quæ Plotinus libr. 4. Ennead. 1. cap. primo ſcribit, ubi inquirendo nunquid ſingularium ſint ideæ, inquit. Si quæ fiunt omnino plura ſunt, quàm exemplar, cur non oportet omnium, quæ in una mundi reuolutione fiunt, rationeſque, exemplariaque extare? Videtur enim ſufficere homo unus ad omnes homines, quemadmodū & animæ numeratæ ad innumerabiles homines effingendos. Sed enim non poteſt una eſſe ratio differentiū. Neque ſufficit homo unus ad exēplar multorū hominū inter ſe differētijs diſcrepātium.

Plotini auctoritas contrà Marſilium.

Patet igitur rationem hanc, quam aliquis poſſet contra ea, quæ dicuntur adducere, ſcilicet ideo inter hominum animas unam alteri intelligendo præeſſe, quia una ab alterà ſpecie differat, non eſſe Platonicæ doctrinæ conſentientem; quod ſi eſſet, (ut iam diximus) nodum obiectionis non ſolueret. Hîc enim quærimus, quomodo magis poſſit unū corpus ſecundùm Academica dogmata uni animæ conferre, quàm alterum alteri, ut hæc magis intelligendi munere fungi poſſit, quàm illa. cùm ex anima, & corpore ſecundùm Platonem unum per ſe non fiat; nec poſſit corpus, animæ, quæ eſt ſpiritus conditionem aliquam corpoream inurere. Quòd quidem argumentum, ut ex hac parte diluatur, prius intelligendū eſt, quomodo

Fundamentum pro ſolutione argumenti, ſecundùm Platonem.

quomodo diuinus Plato animam corpori iungat.

Magna eſt inter Academicos diſſenſio; nunquid Plato exiſtimauerit animas humanas ortu carere, ſicut interitui non eſt obnoxia; an potius originem habuerit. cuius diſſentionis occaſionem præbuit Plato ex eo, quòd in Phædro, non modò animã ab interitu eximit, ſed nec etiam ortũ ipſi concedit, hac ratione; quòd ortus ſubſtantiæ illi nõ cõuenit, quæ à ſeipſa mouetur. In Timæo uerò animæ ortũ aſſignat, ubi eius generationẽ explicat. Quæ loca Ioannes Grammaticus in eo libro, quem contra Proclum de mundi æternitate condidit, ſic cõciliare cõtendit. Primò diſtinguit animã, ut eſt mentis particeps, & ut eſt anima, quæ ſunt partes ingredientes diffinitionem animæ à Platone adductã in Alcibiade primo. Et uult, Platonem in Phædro, ubi animæ ortum adimit, ipſam ſub hac ratione conſideraſſe, quippe ut eſt mentis particeps; Et cùm mens abſoluta, & à corpore omnino ſeparata ſit, ideo ratione mẽtis, animam in Phædro, non modò interitus ſed etiam ortus expertem poſuiſſe. In Timæo autem animam ſub ratione animæ conſideraſſe; videlicet, ut quodammodo ad corpus refertur; quòd ab ipſo animatur; & ſic cum hæc animatio minimè ſit æterna; ideo Plato in Timæo animæ originem tribuiſſe. Propterea Chalcidius in expoſitione ipſius Timæi ſcribit. In ſolo Timæo, Plato rerum æternarum genituram commiſcitur; Credo, ne ſi audiant homines eſſe quædam, quæ ex origine nunquam nata fuerint, principatui ſummi Dei derogari putent; ſi pari, atque eadem ſint qua Deus antiquitatis præſtantia. Neſcientes longè aliter dici originem rerum æternarum, & idem caducarũ. Siquidem mortalium auctoritas, & origo illa eſt, quæ præcedit

Diſſenſio inter Academicos de opinione Platonis, an ſint animæ ita ingenitæ, ut immortales.

Plato in Phædro animam facit ingenitam, ſed in Timæo genitam.

Ioannis Grammatici conciliatio ſententiæ Platonis in Phædro & in Timæo.

„ ortum cæterorũ, ut origo, eſt pater filij, & populorum, atque urbium, conditores earum. At uerò diuinorum generũ, æternarũ gentium origo, ut ars nõ in anticipatione temporis, ſed ex dignitatis eminentia conſideratur. Et paulopoſt ſubdit. Certè propoſitum ſcriptoris conſiderandum puto; nam ſi id ageret in hoc libro, ut immortalem animam eſſe probaret, non conueniret animæ genituram comminiſci. Propterea quòd cuncta, quæ gignuntur ad præſens, è re ſunt, naſcentem; & uelut in lucem proditam inducere animam eius. Quò, audientes imaginarentur animæ formam aliquam; perinde ut earum omnium, quæ naſcuntur uident. Hæc Chalcidius.

Quid de mente Platonis ſit credendum in animæ ortu.

In hac diſſenſione uidelicet, quid de mente Platonis exiſtimandum ſit; nunquid ipſe animas ingenitas cenſuerit, nec ne; ſunt uiri admodùm illuſtres; qui affirmant Platonem animabus ortum minimè tribuiſſe; inter quos eſt D. Auguſtinus qui lib. 10. cap. 31. de ciuitate Dei id obſeruat; nempe hac de re Platonicos ipſi D. E O animas coæternas poſuiſſe; quòd fieri non poſſe exiſtimarent; quidquàm ſempiternum eſſe, qualis eſt anima apud Platonem; quod & anteà ſemper non fuiſſet; id etiam de mente Platonis opinatur Beſſario Cardinalis, in libr. 2. cap. 7. contrà Trapezuntium; quidem Beſſario, inter cæteros Platonicos, occultiſſimos ipſius Platonis ſenſus optimè enucleat. Adde, quòd ipſemet Plato in Phædro, & in Phædone id apertiſſimè ſcriptum reliquit; ubi per ſe motum, & principium motus, animæ tribuendo, ex hac ratione ipſam ingenitam eſſe deducit; cuius uerba uideat unuſquiſque pro ſuo arbitratu. Sed quoquo modo res apud Platonem ſe habeat, ideſt, uel quòd

Auguſtinus exiſtimat Platonẽ animę ortũ: ademiſſe.

Beſſario exiſtimat Platonem animæ originẽ non ſtatuiſſe.

Platonis auctoritas, quòd animæ, ortum non habuerint.

Platonici om-

quòd animam ingenitam, vel genitam exiſtimauerit, in hoc tamẽ omnes eius diſcipuli conueniunt; quòd ipſam corpore antiquiorem fecerit, quàmuis Marſil. Ficinus potius fortaſſe ut diuinum illum Philoſophum in hac re ad religionem noſtram traheret; quã, quòd id de ipſo Platone ſentiret, lib. 17. cap. 4 Thealogiæ Platonicæ dicat; Platonẽ fortè exiſtimaſſe animam natura priorẽ corpore, nõ autẽ tempore eſſe; quæ tamen opinio haud ſatis ſcio nunquid apud aliquos alios Platonicos reperiatur. Cùm igitur res ita ſe habeat; ut Plato animas corpore antiquiores eſſe arbitratus ſit. Eaſque inſuper numero definitas eſſe putarit, hac ratione adductus; quòd cũ ipſe Mundi æternitatẽ (ſaltẽ impoſterũ) admittat, & aĩarũ rationis participũ immortalitatẽ teneat; ſi ſingulis hominibus ſingulæ cõuenirent Aĩæ, cũ infiniti homines ſint generandi, infinitus etiã deberet rerũ numerus admitti; à quo Philoſophia penitus abhorret. Quas quidẽ aĩas numero definitas, certis tẽporũ curriculis, in mũdũ ſenſibilẽ reuerti, ad eadẽ corpora, quibus prius aſtiterant regẽda exiſtimat; quẽ quidẽ regreſſum, Zordaſter regenerationẽ, nuncupat; & in libr. de Regno, Plato hanc reſurrectionẽ, Deo iubente, & Dæmonũ miniſterio in fine mundanæ reuolutionis futurã eſſe cenſet; Quas quidẽ aĩas cũctas ſimul à diuino opifice manaſſe putat, numero pares ipſis ſyderibus, cũque rerum omniũ rationibus ſibi impreſſis; quòd Plato ipſe ſub hac metaphora in Timæo exponit. Quippe Deum, rerum omnium opificem, cuncta rerum ſemina in pateram quandam iecisse; eaque muſicis modulis tẽperaſſe; quãquidẽ paterã pro animæ natura intelligit rerum diuinarũ hominibus rutilantem, corporalium uero rerum ſeminibus prægnãtẽ Deinceps opinat Plato huiuſmodi aĩas uarias in

mundo

nes animam antiquiorem corpore faciunt.

Marſilius exiſtimat Platonem animam natura, non tempore priorem feciſſe corpore.

Plato quare animas numero definitas poſuerit.

Plato animas certis temporũ curriculis ad eadem corpora redire exiſtimat.

Regreſſus aĩæ ad corpora qñ ſecundum Zoroaſtrum, & Platonem.

Plato animas cũctas ſimul, et numero ſtellarum pares à Deo manaſſe ſcribit.

Quid intelligat Plato in timeo p patera in qua ſemiñæ fuerãt animæ.

Animę ſecundũ Platonem ante lapſum ubi ſint & quid operentur.

mundo ſenſibili uita, ſpecies mutare. Sed antequàm in mundum ſenſibilem præcipites cadãt, in cælo Dijs comites eſſe, in Phædro ſcribit; ibique Deorũ uitã in contemplatione idearũ æmulari, idque tandiu facere, nec non in cæleſti illa patria tandiu degere, quãdiu Deos ipſos in idearum conſideratione imitantur. Attamen cùm per uarias animi agitationes, à cauſis ad effectus, & ab his ad cauſas uolutent; tunc, ait, Animum qui aciem figit in ideã illã, quæ eſt circultus caput, p quod, circuitus cõtinuatur, nequaquàm cadere, ſed tũc duntaxat dilabi, cùm malus equus, quem pro concupiſcentia intelligit, à generãdi facultate, iam inualeſcente excitatus, ipſum ab actu contẽplationis, ad actũ generandi diſtrahit. Et hunc animę lapſum; ante quem ipſa conſueuerat intellectuales conceptus edere; poſtmodum uero imaginales producit, quo fit ut ex ipſa anima, tanquàm germen à radicibus uegetalis actus pullulet, per quem ſe corpori connectit, Porphyrius comparat agro ſentibus, & mucore obducto; qui cùm triticum edere conſueuiſſet; iam non amplius, niſi lollium reddit. Hunc tamen deſcenſum animæ, non modo uolunt Platonici ipſi animæ ex eius imbecillitate euenire, dùm in diuinis conſiſtere nequit; uerum etiam fœcunditate ipſius in germen pullulantis; cùm forma corporea ſit ipſius animæ propago. Et propterea inquit Plotinus libr. 8. Ennead. 4. cap. 6. Oportet etiam ſimiliter animas exiſtere; ſed etiam effectus earum per ſpaciũ apparere; ſiquidem unicuique naturæ hoc ineſt; ut ſequens aliquid faciat, explicetque in lucem. Et præterea, etſi ſecundùm eoſdem anima in hoc deſcenſu à mundo intelligibili in ſenſibilem cadendo, deteriorem acquirit conditionem; id tamen ipſi animæ cõuenit; ne aliqua eius facultatum fruſtretur.

Quando anima ſecundùm Platonem à cælo cadat.

Porphyrius animę lapſũ agro deprauato comparat.

Animæ lapſus ſecundùm Platonicos ex eius fœcunditate euenit.

Animę facultates præter intellectum.

ſtretur. Nam ipſa præter intellectũ, cuius eſt particeps, & per quem (ſecũdum Plotinum) in mũdo intelligibili ſemper agit, habet etiam (ſaltem in radice) imaginationem, ſenſum, & uim uegetalem; quaſquidem facultates, operæprecium eſt ſuis quandoque fungi muneribus, quod non niſi in corpore, facere ualent. Quare neceſſe eſt ut aliquando in corpora dilabatur, ut nobis explicat Plotinus in libro, & Enneade à nobis ſuprà citatis, cap. 3. his uerbis. Opus autem animæ, quæ rationalior eſt, certè eſt intelligere; neque tamen intelligere ſolùm; alioquin quo differat ab intellectu non uideo; ſed præter id, quòd intellectualis eſt, aſſumens inſuper aliud, ſecundũ quod, propriam ſortitur naturam, non permanet intellectus. Habet autem opus, & ipſa ſiquidem quicquid mentium ordine numeratur, proprium opus habet. Iam uerò ſuſcipiens anima ad, id quod ſuperius eſt intelligit, reſpiciens autem in ſeipſam, ſeruat profectò ſeipſam. At uerò ad id quòd inferius eſt iam uergens exornat ipſum, et gubernat, & regit. fieri ſane non poterat, ut in mundo intelligibili omnia conquieſcerent. quippe cùm deinceps aliud quẽ effici poſſet, quod quidem continuè minus euaderet, neceſſariò tamẽ exoriretur, quandiu, quod ſuperius eſt conſiſtat.

Anima quomodo ſecũdum Academiã ſe corpori inſinuat.

Reſtat nunc, ut uideamus, quomodo anima à mundo intelligibili in ſenſibilem delapſa, ſecũdum Academiam ſe inſinuet corpori; & quomodò ex anima & corpore ſic affecto, homo conſciatur, & quomodò corpus animæ ad actum intelligendi inſeruiat; ut intelligamus, qua ratione poſſit corpus animæ ipſum uiuificanti occaſionẽ præbere, ut magis, uel minus intelligendi munere fungatur: Ex quo poſſumus illud argumẽtum ex Platonicis principijs diluere; ſcilicet,

quo modo

quomodo anima, quæ ex ſe, & corpore, cui coniungitur rem unam non conſtituit, poſſit ratione corporis in actu intelligendi magis, uel minus vigere.

Anima alio modo conſideratur vt abſolutè anima & ut corpori adhæret.

Pro quo ſciendum, quòd alio modo debet conſiderari anima, vt eſt anima abſolutè; & vt corpori adhæret. Nam vt anima tantum, ipſa non eſt homo; ſed ſimplex anima; quòd poſteà probabitur: Sed nunc tantum eſto; Vt verò corpori humano aſſiſtit homo dicitur. Anima abſolutè conſiderata; habet tres facultates ſibi ad rerum cognitionem inſeruientes. Habet rationem, quæ quidem poteſtas eſt propria ipſi animæ, & conuenit ei ſecundùm eius naturam, per quam à cauſa ad effectum, & ab hoc ad cauſam diſcurrendo poteſt ueritatem attingere. Habet intellectũ, qui quidẽ intellectus nõ eſt animæ priuatim, ſed quædã intellectus diuini cõmunicatio per quam, ſine aliqua ratiocinatione, ſed certo intuitu ueritatem contemplatur. Habet immaginationem, quæ eſt ſenſus animæ intimus, qui ſenſuum ſubſequentium eſt iudex; & aliquid de ſingulari ſubſtantia iudicat; quibus facultatibus prædita, ad corpus accedens, corpori aſſiſtit; vt nauta naui; & ſui natura corpus fouendo, vitam quandam in ipſo generat, ex qua quidem, & corpore quoddam compoſitum emergit; quod Animal appellatur, Et hãc vitam aliqui Platonici nõ veriti ſunt per quãdam ſimilitudinem, animam ſecundam dicere. Et Plotinus hoc animal non partem animæ, ſed ſimulacrum ipſius vmbratile vocat. Huic ſimulacro virtute ipſius animæ tres facultates adiunguntur, quæ ipſi animæ famulantur, tanquàm partes eius inſtrumenti; quod eſt tale corpus ſic affectum; quæ facultates aliquam habent analogiam

Aiæ facultates ut eſt abſolutè anima ſecundũ Platonicos.

Anima quando corpori aſſiſtendo animal conſtituat.

Animæ ſimulacri facultates ſecundum Platonicos.

giam cum ipſis poteſtatibus, anima naturam abſolutè concomitantibus. Et ſunt iſtæ. Senſus communis, quem alij etiam imaginationem, ſiue phantaſiam quandam dubiam nominant; cuius officium eſt accidentia tantùm cognoſcere; & maxime naturali inſtinctu duci; quæ tenet ſummum in animali; ſicut intelligentia in anima. Secunda huius animalis poteſtas; ſunt quinque ſenſus exteriores, per quos paſſiones ab obiectis corporalibus extrinſecis, illatis ſentit; qui tenent medium in animali, ut ratio in anima. Tertia poteſtas ipſius animalis, eſt natura uegetalis, per quam fit nutritio, augmentũ, & generatio; quæ tenent ultimum in ipſo; & reſpondet imaginationi, quæ eſt infima animæ facultas. Hoc Animal ſic diſtributum; fit in hoc mundo ſenſibili (ſecundùm Platonem) animæ inſtrumentum, ex quo, & ipſa anima homo conficitur. Non enim anima ex ſui natura homo eſt, nec minus hoc animal per ſe conſideratum. Sed anima ipſi aſſiſtendo, homo dicitur; Quo factum eſt, ut Plato in Alcibiade primo hominem ſic definierit. Homo eſt anima rationalis, mentis particeps, & corpore utens. Quod apertè declarat Plotinus libr. 7. Ennead. 6. cap. 5. ubi inquit. Anima uerò talis, aſſiſtens uidelicet materiæ tali, ut potè, quæ ſit hoc ipſum tanquàm ſic affecta, & abſquè corpore iudicatur homo. Quæ profectò, ſecundùm ſe ipſam aliquid format in corpore, & ſimulacrum hominis aliud, quàm capit natura hominis efficit; quemadmodum & ipſius inſuper ſimulacrum pictor efficere ſolet; efficit inquam hominem quendam deteriorem, qui tamen, & formam habet, et rationes, & mores, affectioneſque, et uires debiles, & obſcuras, obſcura omnia; quoniã hic non eſt homo primus. » » » » » » » »

Animæ inſtrumentum ſecundùm Platonicos

Hominis definitio ſecundũ Platonem.

P Hæc

Anima alio modo operatur in corpore ſecũdùm Platonicos quam extrá operabatur.

Hæc Plotinus. Itaquè cùm modus operandi ſequatur modũ exiſtendi; operæprecium eſt; ut alio modo Anima concluſa in corpore operetur, quàm prius, dum corpori non incubabat. Et propterea exiſtimat Plato in libr. x. de legibus, & in Phædone, Animam priuſquàm in corpus deſcendat, in mundo intelligibili per ſpeciei rerum ſibi ingenitas apertam rerum cognitionem poſſidere: attamen ex contagione ipſius corporis in obliuionem omnium rerum prius ſcitarum incidere. Et ſic cùm alius ipſi animæ in mundo ſenſibili ſit ſtatus; quàm in mundo ſuperiori ipſi etiam alium cognoſcendi modum competere; nec quicquam poſſe in inferiorem ſtatum animam delapſam intelligere; niſi à formis ſenſibilibus experrecta, rationum illarum denuò reminiſcatur; quarum notitiam prius habuit; et quarum ſpecies, in aduentu ipſius, in ergaſtulum hoc corporeum, obliteratæ fuerunt. Quare in Phædone inquit. An non obliuionem ſcientiæ iacturam eſſe dicemus? Ita prorſus ô Socrates. Sin autem acceptam ante ortum ſcientiam nati amiſſimus; Deinde verò freti ſenſibus circa ipſas ſcientias illas, quas anteà habueramus recipimus, non ne id quod diſcere appellamus eſſet ſcientiam recuperare; atque id reminiſci nominantes, rectè nominaremus. Rectè. Fieri enim id poſſe apparuit, videlicet, ut cùm quis aliquid ſenſerit, vel videndo, vel audiendo vel aliter ſentiendo, aliud quiddam, ex hoc cognoſcat, cuius erat oblitus, cui quidem hoc quodammodo appropinquabat, ſiue ſimile ſit; ſiue diſſimile. Idem docet in Menone, longa verborum ſerie; dum puſionem, qui nunquam geometricam diſciplinam addiſcerat, interrogatũ de dimenſione quadrati, ut doctũ reſpõdentẽ inducit; quæ ita prolixa ſunt, ut nos ea recitare nõ deceat.

Anima ſecundũ Plat. in hũc mũdum delapſa nihil, niſi experrecta à ſenſibus intelligit.

Sed

Sed ſufficit; vt concludamus; hunc fuiſſe Platonis ſententiam; quòd cum anima ex corporis contagione formas illas intelligibiles obliuioni tradiderit, quæ ſibi fuerant ingenitæ, nequit ad ipſarum cognitionem in hoc ſtatu, in quo eius animali ex ipſius animæ ſimulacro, & corpore terreno fabricato regendo aſſiſtit peruenire; niſi à formis rerum ſenſibus expoſitarum excitata; quæ imagines ſunt ſpecierum illarum iam ſibi inditarum; quæ cùm in ſenſibus exterioribus, & per hos facultati illi animalis imaginariæ occurrunt; de qua ſupra loquebamur. Anima ſuis viribus expergiſcitur, & rationes illas, idearum exempla, quæ in ſuis penetralibus latitabant excutit; & notiones parit, ex ipſis rationibus conceptas; et hoc eſt apud Platonem. Homini eius intelligere. Jn quo ab Ariſt. differt in duobus. Quòd Ariſt. exiſtimat ſpecies ſenſibus expoſitas, miniſterio ſenſuum externorum in Phantaſiam recipi; quæ eſt ſenſus animæ internus; & ex his ſimulacris conditionibus materialibus inuolutis, ſpeciem intelligibilem ab intellectu agente educi; qua intellectus poſſibilis formatus rei intelligendæ conceptum gignit; & hoc modo rem nondum cognitam diſcere. Plato verò nonmodò in hoc ab Ariſt. diſsentit, quòd ſcientia à nobis acquiſita non ſit rei incognitæ recens cognitio; ſed rei iam cognitæ recordatio. Verum etiam nullo pacto admitteret intellectum noſtrum formari aliqua ſpecie extrinſecus aduenient e; hoc enim apud ipſum eſſet intellectum pati, non autem agere; quod ſuis principijs ex diametro opponitur. Et cùm de hoc extent innumerabiles loci, & auctoritates grauiſſimorum Academicorum, ne nos in hac re immorantes, nimis in longum protrahamus hunc ſermonem; Vide ſi placet id à Marſil. Ficin.

Anima ſecundū Platonem, quomodo à ſenſibili obiecto experrecta intelligat.

Plato quomodo differat ab Ariſt. in modo intelligendi animæ aſſignato.

Plato non admitteret intellectum aliqua ſpecie extrinſecus formari.

ſubtiliter probatum, ſecundùm Platonis placita, libr. xi. Theologiæ Platonicæ cap 3. Nec ſolum non admittunt Platonici formas extrinſecas intellectui accedere. Sed nec etiam opinantur obiecta ſenſuum exteriorum, ad imaginationem animæ ſuperioris, cuius ſupra meminimus, peruenire. Sed exiſtimant imaginationem hanc ad ſubiecti animalis ſenſus ſeſe dirigere; proximè autem corporis paſſiones non percipere; ſed tantùm compaſſiones ſenſuum; qui patiente corpore compatiuntur animaduertere; & circa ſenſus inferioris imagines, eiuſque paſſiones, & actiones uerſari; nec tamen aliquam inde perniciem reportare; ſed quoddam duntaxat paterno affectu erga ipſum corpus tangi; & id probatur à Plotino in toto libro ſuæ primæ Ennead. Quamuis tamen in his Academici, & Peripatetici inter ſe non conueniant. Nihilominus non tollitur, quin etiam apud Platonem, miniſterio corporis anima non indigeat, in hoc ſtatu; in quo corpus fouendo, ex ſeipſa, & corpore, cui vitam tribuit, hominem conſtituit, cuius viuentis inſtrumenti auxilio, rerum iam oblitarum ſcientiam recuperet, ſicuti ſecundùm Peripatetica dogmata eſt neceſſarium corpus ipſi animæ; vt per ſenſus tanquàm exploratores, rerum notitiam accipiat.

Apud Platonicos obiecta ſenſuum ad imaginationem non perueniunt.

Anima non ſentit paſſiones corporis, ſed compaſſiões ſenſuũ.

Anima ſecundũ Platonem miniſterio ſenſus intelligẽdi utitur.

Quare iactis his fundamentis non erit difficile argumentum illud ſecundùm Academiam diluere. Nempe quomodo anima, quæ vt Plato exiſtimat, eſt natura completa, in ſpecie, & ex qua, & corpore fit tantùm vnum per accidens, poſſit magis intelligendo uigere in hoc induiduo quàm in illo ratione diuerſarum corporis affectionum, præcipuè cùm qualitates corporeæ nequeant in ſpiritum, qualis eſt anima recipi. Quamobrem dicendum eſt, quòd, vt ſupra

Obiectionis ſolutio ex doctrina Platonis.

pra

pra teſtimonio Platonis, & Plotini probauimus; Anima rationis particeps, ex ſui natura, circumſcripto quouis alio attributo, non eſt homo; ſed vt eſt ſic affecta, et hoc modo ad corpus relata, ut ipſius regendi prouinciam ſubeat; & eius miniſterio oblitarum rerum reminiſcatur. Nos verò hîc inquirimus, quare unus homo rem eãdem melius intelligat altero, ratione corporis; & non quomodò hæc Anima, nullo alio adiuncto illi collata ipſam intelligendo ſuperet. Cùm igitur apud Platonem Homo ſit ex anima, & corpore ab ipſa vitam acquirente conſtitutus; etſi ab anima ſola appellatur; quia Plato tale corpus animæ inſtrumentum, & ab ipſa ſeiunctum eſſe exiſtimat: Quid mirum, ſi hæc anima, quæ inſtrumento melius diſtributo in ſua operatione vtitur, quàm illa effectum etiam digniorem producat? Nonnè videmus in uno, & eodem fabro, quantum referat inſtrumenti excellentia, ad idem opus eadem arte fabricandum? Quantò magis erit animæ conſentaneum, vt pro diuerſa inſtrumenti eius animati natura, nobiliorem operationem efficiat; cùm longè magis intima ſit proprio inſtrumento, quàm artifex? Quare Plotinus Ennead. 4. libr. 3. cap. 21. potius hanc vnionem ipſius animæ cùm tali inſtrumento comparat arti, quæ eſſet coniuncta nauis gubernaculo; quàm gubernatori gubernaculum mouenti. Et ratio huius rei eſt, quòd uita illa ab anima in corpus producta, quæ animæ ſimulacrum dicitur, etſi ab animæ natura diſtincta, & diuerſa eſt; habet tamen illam conuenientiam cum ipſa, quàm germen cum radicibus, à quibus gignitur. Itaque dum anima ſimulacrum illud in ſe prius implicatum in corpus explicat; cùm acceptum in aliquo ſubiecto, per modum illius quòd ipſum recipit, ſuſcipiatur;

Animalis vita quæ eſt animæ ſimulacrum, quã conuenientiam cum ipſa anima habeat.

Vita ab anima corpori infuſa ſecũdũ affectionem corpori recipitur.

vita

vita hæc ab anima corpori infuſa, quæ eſt pars illius animati inſtrumenti; ſi corpori melius affecto iungitur perfectiori modo ab ipſo recipitur; & ſic ex ea, & corpore nobilius inſtrumentum emergit, et magis intimum animæ, quàm inſtrumentum fabrile ipſi fabro.

Alia reſponſio obiectioni ex doctrina Platonica.

Præterea reſponderent Platonici huic argumento: quòd ſicuti animæ per corporis labē hebetatur rationis acumen; quantò corpus fuerit minus inæquale tantò minus hebeſcet, & facilius, à formis ſenſibus expoſitis excitari; & ſe ad intelligibiles rationes attolere poterit; & propterea inquit Virgilius ex Platonica doctrina libr. 6. Aeneidos.

» Igneus eſt ollis vigor, & coeleſtis origo
» Seminibus, quantum non noxia corpora tardant.

Alia reſponſio obiectioni ex doctrina Platonis.

Ex quo colligi poteſt, quòd tantò magis anima vigeat in eius intelligendi operatione, quantò minus obtuſum habet corpus. Ad hæc. Anima eſt continuò occupata in mole corporea temperanda, quare, quantò melius conſtitutum regit corpus tantò minus à nobiliori eius operatione diſtrahitur.

Alia reſponſio obiectioni ex doctrina Platonica.

Adde quòd voluptates, & paſſiones corporum, quæ vſque ad animæ ſedem commeant, animam à ſua operatione impediunt, non quòd ipſa aliquam ex his paſſionibus pernicioſam qualitatem patiatur, ſed quia titillationi corporis, ipſa anima conſentit, ſi paſſio lenis fuerit; ſin autem aſpera, ab ipſa retrahitur; & non minus paſſio illa ſuauis, quæ voluptatis nomen ſibi vendicat, quàm hæc, quæ dolor nuncupari ſolet, anxietati, & langori miſcetur, quo fit, vt illa anima magis à contemplatione auertatur, quæ

corpus

corpus huiuſmodi perturbationibus magis obnoxium ſortitur; & quantum ualeant huiuſcemodi corporis affectiones, ad potiorem in ſua actione uim animæ hebetandam docet idem Virgilius carminibus ſubſequentibus.

Terreniquè hebetant artus, moribundaquè membra,
Hinc metuunt, cupiuntquè dolent, gaudentquè nec auras
Reſpiciunt, clauſa tenebris, & carcere cæco.

Sed iam ſatis extrà Ariſt. ſemitam cum Platonè uagati ſumus. Redeamus tandem ad Peripatetica dogmata, unde diſceſſimus, & dubitationem hanc ſecundùm ea auferre ſtudeamus.

Regreſſus ad Peripatetica pricipia.

Dicebatur hoc modo. Age. Qui fieri poteſt, ut uera ſit ſententia, quã tu D. Thomæ ipſum exponendo, adſcribis? ſcilicet, quòd is inter animas rationis participes unam altera melioris uirtutis in intelligendo eſſe putarit ratione melius diſtributi corporis, cui adiũgitur; ſi anima intellectiua, & facultas intelligendi ſupra capacitatem corporis eleuatur? Hæc dubitatio (ut iam diximus) apud Platonem aliquantulum uidetur difficilis, non tamen ſic eſt apud Ariſt. Quamobrem cùm ipſam iam ſecundùm Academicorum placita explicauerimus, eam quoquè (Deo fauente) ex Ariſt. doctrina diluemus. Verum eſt profectò animam rationis participem ſuum eſſe non mutare à materia; & per facultatem intelligendi ſuprà corpus extolli. Attamen eſt animaduertendũ, quòd cùm operationes ſint ſuppoſitorum, magis propriè dicitur compoſitum operari, quàm formam, etſi enim forma eſt principium, quo ſuppoſitum

Replicatio obiectionis.

Anima rationis particeps nõ habet eſſe a corpore.

Operationes sũt ſuppoſitorum.

operatur,

operatur, non tamen eſt principium, quod operationes producit; Et propterea cùm ſecundùm Ariſt. & veritatem; Anima ſit forma corporis, magis congruè dicemus, Hominem intelligere, quàm animam. Et ideo Ariſt. primo de Anima; text. 64. inquit.
» *Dicere animam ſentire, aut intelligere ſimile eſt, ac ſi dicat aliquis,*
» *eam texere, vel ædificare: & D. Thom. prima part. quæſt. 71. ar-*
» *tic. 2. in reſponſione ad ſecundum, dicit: Poteſt igitur dici, quòd*
» *anima intelligit ſicut oculus videt; ſed magis propriè dicitur, quòd*
» *homo intelligit per animam. Vnde Ariſt. in 2. de anima. text 24. Animam definiendo, vel (vt melius dicam) deſcribendo, vt eſt principium operationum, non dixit; Animam eſſe id, quod intelligit, & ſentit. Sed inquit. Anima eſt, quâ viuimus, & ſentimus, & mouemur, & intelligimus primum. Itaque cùm actus intelligendi magis propriè dicatur de homine, quàm de anima. Homo verò ex anima, & corpore conſtet, ex quibus vnũ per ſe emergit, non ſecus (vt inquit Ariſt. 2 de Anima text. 8.) ac ex cera, & figura; non incommodùm eſt, vt actus intelligendi, magis in hoc homine, quàm in illo eluſceſcat, ex diuerſa corporis conſtitutione; quàmuis vtriuſque animæ, & intellectus, ſint æqualis excellentia. Nam intellectus viatoris in eius operatione pendet à ſenſu; vel propter peccatum primi parentis, (vt dicit Auguſtinus) vel propter connexionem iſtarum virtutum. Vel (vt inquit D. Thomas, & fortaſſe melius) quia eſt naturale homini, vt ſcientiam per ſenſus acquirat; & ideo anima vnitur corpori, quia indiget eo ad ſuam propriam operationem; Hinc eſt quòd dicit Ariſt. 3. de Anima. Oportet intelligentem Phantaſmata ſpeculari, quæ*

Animæ deſcriptio, vt eſt principium operationum.

Ex anima, & corpore fit vnũ per ſe.

Intellectus viatoris in eius operatione pendet à ſenſu.

Intelligẽtem oportet ſpeculari phantaſmata, pro quorum diuerſitate diuerſus emergit modus intelligẽdi.

ita ſe habẽt ad intellectum, vt ſenſibilia ad ſenſum. Quapropter etſi facultas intelligentiæ noſtræ nullo eſt organo corporeo addicta, attamen in eius operatione exigit ſibi à ſenſibus obiecta præparari; ex quo fiet quòd ſi in aliquo homine ſentiendi poteſtas (præſertim interna) ex meliori conſtitutione corporis perfectior inueniatur, quàm in alto poterunt eius intellectui plura Phantaſmata, minusque confuſa parari; quo fiet, vt intellectus agens iſtius hominis, lucidiores ſpecies magiſque diſtinctas inde educat; quibus intellectus poſſibilis formatus, plures conceptus, & magis diſtinctos pariet, quàm intellectus illius. Pro cuius rei confirmatione non ab re erit, pulcherrimam quandam Marſilij Ficini ſententiam recitare libr. 11. Theologiæ Platonicæ cap. 3. Quid (inquit) prohibet uirtutem illam agentem, quæ noſtræ mentis eſt radius, in alijs, & alijs Phantaſiæ ſimulacris aliter, & aliter emicantem inde reflecti?

Sed hic aliquem ambigere uideo. Qua ratione intellectus operatio à ſenſibus pendeat; cùm unumquodque ita ſe habeat ad operari, ſicut ad eſſe. Anima uerò intellectus particeps, ſit per ſe ſubſiſtēs; Ex quo etiam erit fatendum; quòd ſaltem operatio, quam virtute illius facultatis producit, quæ corpori non alligatur, à corpore nō oriatur. Iuſta, eſt mehercle hæc dubitandi cauſa. Sed huiuſmodi dubitatio facilè remouebitur; ſi prius cognouerimus, qualis ſit ipſius animæ ſubſiſtendi ratio. Quare dicendum, quòd ideo anima noſtra dicitur ſubſiſtere, non quòd ſit aliquid completum in ſpecie (ſic enim accipiunt Platonici animæ ſubſiſtentiam, & in hoc à Peripateticis diſſentiunt;) ſed dicitur ſubſiſtere, quia eius eſſe non dependet ab aliquo ſubiecto à quo pullulet; anima nanque cùm ſit Obiectio. Anima quomodo dicatur ſubſiſtere.

pars ſpeciei non poteſt dici primo modo ſubſiſtens; ſed tantùm ſecundo. Et hæc eſt doctrina D. Thomæ in prima parte, quæſt. 75. artic. 4. ad primum. Etſi quæras quomodo hæc duo inter ſe congruant; nempe ut anima, quæ eſt forma corporis ſubſiſtat, & etiam ſubſiſtat Homo, qui eſt ex anima, & corpore conſtitutus, & ex his non fiat coacervatum per accidens. Reſpondebimus quòd utiquè conuenit homini ſubſiſtere, cùm ab eo plures operationes proueniant. Non tamen eodem modo ei conuenit per ſe eſſe, quod eſt idem quod ſubſiſtere, quo ipſi animæ competit. Etenim, eſſe primò, & per ſe dicitur animæ conuenire, cum ipſa non per aliam cauſam formalem ſuum eſſe habeat. Homini verò conuenit eſſe per ſe, ut eſt completum in ſpecie, & hoc aliquid, in quo eſſe ipſius animæ recipitur. Nec aliud eſt eſſe compoſiti, quàm ipſummet eſſe animæ ſibi communicatum. Nam prius intelligimus animam eſſe accipere, & illud poſtmodum materiæ communicari, nec non compoſito per ipſam animam. Quamobrem inquit D. Thom. 2. ſenten. diſt. 8. quæſt. 5. art. 2. ad octauum; quòd animæ intellectiuæ propriè debetur fieri, & corpus trahitur ad eſſe eius. Idem dicit quæſt. diſp. quæſt. de ſpirit. creat. art. 23. Itaque cùm unum, & idem ſit eſſe animæ, & compoſiti, hoc tamen diſcrimine; quòd eſſe non conuenit animæ per aliquem alium actum; compoſito verò conuenit per ipſam animam, quæ eſt forma eius; alius erit effectus animæ; ut eſt ſubſiſtens modo quo declarauimus; alius autem effectus compoſiti per formam ſubſiſtentis; effectus enim animæ eſt effectus formalis; qui accipitur in nuda potentia materiæ. Nam teſte D. Thom. in prima part. quæſt. 77. artic. 7. in corpore, &

Eſſe, & ſubſiſtere non conuenit eodē modo homini, et animæ.

Non eſt aliud eſſe cōpoſiti, quam eſſe animæ.

Alius eſt effectus animæ, alius effectus cōpoſiti.

2. contr.

1. contr. Gent. cap. 7. & in pluribus alijs locis; Anima, cùm non vniatur ſolùm vt motor, (quemadmodum exiſtimat Plato) ſed ut forma; nullo alio intercedente unitur ipſi materiæ. Quapropter nec ex parte materiæ, quæ eſt pura potentia, nec ex parte ipſius animæ, cuius natura eſt eadem in omnibus hominibus, per quam quilibet eorum conſtituitur in eſſe ſimplici, & abſoluto, aliquis homo magis participat huiuſmodi actum formalem quàm alius; alioqui non conuenirēt in eadem ſpecie. Nec etiam alicui eorum magis, quàm alteri communicatur aliqua naturalium proporietatum ab hoc formali principio manantium, rationibus quas ſupra pro hac re adduximus. Nihilominus etſi nullus homo ſuperatur ab alio in effectu formali, qui eſt actus ab anima profluēs; poteſt in effectu à compoſito manante, unus alterum excedere; cùm etſi unum, & idem eſt eſſe animæ, & compoſiti, ratione tamen inter ſe differant, modo à nobis expoſito; effectus enim compoſiti eſt effectus cauſæ efficientis, quæ quidem cauſa efficiens neceſſariò debet eſſe res completa in ſpecie, cùm actiones ſint ſingularium, & ſuppoſitorum. Quamobrem cùm intelligere magis propriè conueniat homini, vt ſuppoſito, quàm animæ, vt formæ; & homo ſuper animam addat corpus, & diſpoſitiones animam in corpore conſeruantes; nibil obſtat, quin pro diuerſa corporum affectione; hic homo in actu intelligendi ſit maioris virtutis, quàm ille; accipiendo virtutem non pro nuda facultate intelligentiæ, ſed pro ipſa actu intelligendi formata; cùm intelligere ſit effectus cauſæ efficientis, & non cauſa formalis.

Anima non ſolum vt motor, ſed vt forma vnitur corpori.

Vnus homo non magis participat effectū formalem, quàm alter.

Vnus homo poteſt ſupperari ab altero in effectu compoſiti.

Effectus compoſiti eſt effectus cauſæ efficientis

Intelligere magis propriè conuenit homini, quàm animæ.

Per hæc remouentur, quæcunquè incommoda in verbis D.

Thomæ reperiri videntur; dum ipſe cauſam inquirendo, cur vnus homo rem eandem melius intelligat, quàm alter; hanc ex parte corporis aſſignat; ex cuius meliori diſtributione, exiſtimat hunc hominem ſortiri animam maioris virtutis in intelligendo quàm illum.

In quouis homine duplex repe ritur potẽtia relata ad duplicẽ actum.

Cùm enim in quouis homine duplex reperiatur potentia, quarum vtraquè ad ſuum refertur actum, quia potentia, & actus relatiuè opponuntur; nullum eſt incommodum, vt ſi aliquis homo altero comparatus diuerſam habuerit vnam ipſarum potentiarum ab ipſo; alteram verò potentiam æqualem cum ipſo habeat; alter ipſorum actuum diuerſimodè ipſis conueniat, alter uerò in ipſis non diſcrepet.

Primus hominis actus eſt forma quæ refertur ad materiam.

Primus iſtorum actuum eſt forma, per quam vnuſquiſquè eorum in eſſe conſtituitur, & hac eſt ipſa anima rationis particeps.

Secundus hominis actus eſt operatio quæ refertur ad compoſitum.

Secundus verò, eſt operatio, quæ refertur ad compoſitum, quod eſt huiuſmodi actus potentia, ſicut anima refertur ad materiam cuius eſt actus, & in qua ſine alio medio recipitur. Quòd autem vnus homo alteri comparatus poſſit ipſum in actu primo ſuperare, fatuum eſt iudicare, cùm vterque ipſorum ex æquo ſibi vendicat potentiam, quæ ex ſui natura ad hunc actum refertur.

Vnus homo nõ poteſt ſuperare alterum in actu primo.

Non tamen eſt abſurdum opinari, alterum ipſorum poſſe in actu ſecundo alteri eminere, cum potentia ad quam hic actus refertur poſſit in hoc perfectior inueniri, quàm in illo.

Vnus homo poteſt ſuperare alterum in actu ſecundo.

Hæc enim potentia eſt ipſum compoſitum, ex actu primo, & prima potentia, cum attributis, & affectionibus actum hunc in hac potentia conſeruantibus. Et propterea benè inquit D. Thomas; quòd ille homo ſortitur animam melioris virtutis in intelligendo, quàm alter, qui melius affectum habet corpus. Et hic eſt cauendum, ne

exſti-

existimemus D. Thomam accipere in hac re, animam in illo ſigno, in quo habet eſſe primatim, & prius ſibi conueniens, quàm corpori. Nam in hoc ſigno fieri non poteſt, animam vnius hominis, nec ratione naturæ, nec ratione virtutum ſuarum, differre ab anima alterius, ut iam à nobis latè probatum eſt. Sed accipit animam in illo ſigno, in quo eſſe proprium communicat corpori, & illud ita ad ſuum eſſe trahit, vt ex illa, & ipſo vnum per ſe emergat. Et ſic anima ſub hac ratione, & in huiuſmodi ſtatu conſiderata non excluditur à compoſito, à quo pendet operatio, quæ eſt actus ille ſecundus, cuius ſupra meminimus; qui quidem actus, non eſt abſurdum ut in uno homine ſit perfectior, quàm in altero; cùm eius potentia, quæ eſt ipſum compoſitum, magis perfecta eſſe poſſit in ipſo quàm in illo, ratione affectionum quæ in huiuſmodi compoſito reperiuntur, à quibus affectionibus, anima ſic conſiderata, ut ingreditur compoſitum, ſortitur quandam ſuperuenientem perfectionem, in vno indiuiduo maiorem, quàm in altero. Quæ quidem perfectio ipſi accidit ratione eius facultatū in illo ſtatu, in quo tanquàm principia operationum à compoſito manantium in actum prodeunt, ad quem ſunt ordinatæ, & quem non niſi in compoſito exercere poſſunt. Et ne fortaſſe aliquis ſuſpicetur rationem hanc à me inconſultò excogitari; nempe animam in duplici ſigno iam dicto à ſeipſa ratione differre, ipſamque in poſteriori ſigno à compoſito non ſegregari, videamus Ariſt. in 2. de Anima text. 36. vbi inquit. Anima viuentis corporis cauſa, & principium eſt in triplici genere, cauſa ſcilicet efficientis, formalis, & finalis. Multum enim refert animam conſiderare, uel vt cauſam formalem, vel vt

In quo ſigno intelligat D. Tho. animam vnius hominis perfectioris eſſe uirtutis anima alterius.

Anima in illo ſigno, quo trahit compoſitum ad ſuum eſſe nō excluditur à compoſito.

Potentia actus ſecūdi poteſt eſſe perfectior in uno homine quā in altero.

Multum enim refert conſiderare animam ut cauſam formalem, & ut efficientem.

cauſam

cauſam efficientem. Nam, ut cauſa formalis ſine alterius concurſu, effectũ ſub hac ratione ſibi conuenientem, producit; qui eſt conſtituere in actu primo Animal. Quinimo repugnat ſubiectum in hoc cõcurrere, niſi, ut in ipſo huiuſmodi effectus formalis recipiã; alioquin unũ, & idẽ ratione eiuſdem eſſet actus, & potentia. Sed ut anima eſt cauſa efficiens, non modo non eſt incommodũ, ſed neceſſarium, ſubiectũ ſimul cũ ipſa producere effectum, ab ea tanquàm à cauſa efficiente manantem; quia operationes, quæ ſunt effectus cauſæ efficientis ſuppoſito conueniunt. Ex quo ſi anima operaretur, ut ſuppoſitum à corpore diſtinctum, uniretur corpori tantùm, ut motor, et nõ ut forma. Et ſic in Platonicas anguſtias incideremus. Quare declaratur ab Ariſt. in eodẽ textu. Animã eſſe cauſam efficientẽ, quia eſt principium operationũ; nullæ enim uitales actiones à corpore manarent ſine ipſa anima; ut ſtatim apparet, cùm anima ab ipſo ſeparatur. Quas tamen actiones, cùm tantùm, ut principiũ, & nõ ut hoc aliquid, à corpore ſeiunctũ, efficiat; non ab re dicimus, animam in hoc ſigno conſideratam à compoſito non excludi. Et hinc eſt, quòd etſi anima, ut eſt natura in tali gradu à diuino opifice cõſtituta, & ut eſt cauſa formalis, non reperitur magis perfecta in uno homine, quàm in alio, tamen ut eſt cauſa efficiens, aliquam poteſt accidentalem perfectionẽ ſibi uendicare, maiorem in uno, quàm in alio. Et de hoc eſt locus notandus apud Ariſt 8. Met. text. 10. ubi inquit. Quẽadmodũ, nec numerus habet magis, & minus; neque ſecundùm ſubſtantiam, ſed ſiquidem cũ materia. In quo text. uult Ariſt. ſignificare formam per ſe, ut eſt actus primus ſuæ propriæ potentiæ nullam poſſe intenſionem, uel remiſſionẽ ſuſcipere, quãuis, ut eſt principium

Subiectũ non cõcurrit in effectu cauſæ formalis, niſi ut ſuſceptiuum.

Subiectum concurrit cum anima ad effectum cauſæ efficiẽtis.

Anima cur ſit cauſa efficiens.

Declaratio tex. 10. Ariſt. in 8. Metaph.

pium operationis in ſuppoſito, cuius eſt operari, magis poſſit in hoc ſubiecto, quàm in alio uigere, ſecundùm diuerſas ſubiectorum diſpoſitiones, ad operationem concurrentium. Et ſic exponitur locus iſte à Doctoribus magnæ auctoritatis, inter quos eſt Sueſſanus in 8. Met. tex. producto; & Franciſcus Toletus, in quæſt. 4. ſuper primum librum de ortu, & interitu. Sed inter cæteros eſt M. Antonius Zimara, uir inter omnes Peripateticos clariſſimus, Theorema te. 54. Cuius uerba, etſi aliquãtiſper prolixa ſunt, ne pigeat obſecrò, ut ipſum audiamus; quia in his aperietur expoſitionẽ hãc noſtram, quam verbis D. Thomæ hucuſque tribuimus figmentum non eſſe; ſed iudicio virorũ Illuſtriũ fulciri. Is cùm in illo Theoremate propoſuiſſet, formas ſubſtantiales perfectas ſecundùm ſe conſideratas non recipere magis, & minus hanc propoſitionẽ declarando, inquit.

„ Dixi autẽ ſecũdùm ſe, ꝓpter uerbũ Auerr. in quo dixit. Et ſi fuerit erit ſecũdùm, quòd eſt forma in materia; & eſt etiã in text. ubi dicitur, & quẽadmodũ, nec numerus habet magis, & minus, nec quæ ſecundùm ſubſtantiã, ſed ſi quidẽ cũ materia, et per hoc uoluit ſignificare materiales quaſdam, & accidentales diſpoſitiones. Vnde ſuper Porphyrio dicit Comment quòd unus homo nõ eſt magis homo, quàm alter homo; niſi quis velit per rationalitatem, intelligere rem accidentalem; à forma enim, vt in materia exiſtit, fluunt potentiæ naturales, vel impotentiæ; ut dicit Magnus Albertus ibidem; ſecundùm quas formas ſit expeditior, aut minus expedita actionibus. Sed tunc eſt difficultas contrà hoc dictum; nam ſi forma in ſe non recipit magis, & minus, niſi ratione ſuarum potentiarum, quæ fluunt ab ipſa forma, vt eſt in materia „

tunc

,, tunc ſequeretur, quòd potentiæ naturales, quæ ſunt qualitates de ſe-
,, cunda ſpecie qualitatis, intenderentur, & remitterentur, quod eſt
,, contra omnes Philoſophos; accideret enim tunc quòd in ſecunda ſpe
,, cie qualitatis poſſet eſſe per ſe motus, quod negat Comment. in 7.
,, Phyſic. comment. 20. eſt etiam contra Ariſt. in primo de anima
,, in text. comment. 61. vbi ſcribit, quòd ſi ſenior accipiat oculum ta-
,, lem, videbit vtiquè ſicut iuuenis; vbi expreſſe colligitur, quòd po
,, tentia viſiua iuuenis, & ſenis, eſt in indiuiſibili conſiſtens. Et
,, ſine dubio hoc verum eſt, quòd neque anima, neque animæ potentiæ
,, recipiunt magis, neque minus, ſecundùm ſe, ſed benè merito inſtru-
,, menti; quia tales potentiæ vtuntur organo corporeo, in quo eſt com-
,, plexio, & compoſitio, & unitas; ſecundùm quod huiuſmodi diſpo-
,, ſitiones ſunt meliores, aut deteriores. Complexio enim recipit ma-
,, gis, & minus ut ſciunt Theorici medicinæ; & ut ſic, contingit vnã
,, potentiam melius operari, quàm alteram. Vnde quia comple-
,, xio, & compoſitio organi uiſiui, eſt melius diſpoſita in iuuene,
,, quàm in ſene, ideo dicitur iuuenem melius videre, quàm ſe-
,, nex. Et ſic colligas etiam de intellectu, qui in intelligendo depen-
,, det à uirtute cogitatiua, quæ eſt virtus organica, ut patet. 3. de ani-
,, ma text. comment. 20. quòd ſecundùm, quod organum cogitatiuè
,, habuerit meliorem complexionem, & compoſitionẽ organo alterius,
,, ſic contingit unum hominem eſſe melioris diſcurſus, quàm ſit alter
,, homo. Hæc Zimara. Quid clarius, pro ratione noſtra confirmã
da? Sed ut eandem ſententiam ſecundùm inſtitutum noſtrum, D.
Thomæ auctoritate comprobemus. Accipe quæ D. Thom. in prima
ſecundæ quæſt. 52. in corpore ſcribit. Vbi non modo ueram eſſe co-

gno-

gnoſces declarationem opinionis D. Thomæ, de diuerſitate animarum noſtrarum inter ſe; ſed inſuper habebis citati Ariſt. loci. in 8. Metaphy. claram expoſitionẽ. Subſtantia (inquit) ſecundùm ſeipſam non poteſt recipere magis, et minus, quia eſt ens per ſe; & ideo omnis forma, quæ ſubſtantialiter participatur in ſubiecto, caret intenſione, & remiſſione. Vnde in genere ſubſtantiæ nihil dicitur ſecundùm magis, & minus. Et quia quantitas propinqua eſt ſubſtantiæ, & figura etiam conſequitur quantitatem; inde eſt, quòd neque etiam in iſtis dicitur aliquid ſecundùm magis, aut minus. Vnde Philoſophus dicit in 7. Phyſic. quòd cum aliquid accipit formam, & figuram non dicitur alterari, ſed magis fieri. Aliæ verò qualitates, quæ ſunt magis diſtantes à ſubſtantia, & coniunguntur actionibus, & paſſionibus recipiũt magis, & minus, ſecundùm participationem ſubiecti. Poteſt autem, & magis explicari huiuſmodi diuerſitatis ratio; ut enim dictum eſt, id à quo aliquid habet ſpeciem, oportet manere fixum, & ſtans in indiuiſibili; duobus igitur modis poteſt contingere, quòd forma non participatur ſecundùm magis, & minus: vno modo, quia participans habet ſpeciẽ ſecundùm ipſam, & inde eſt, quòd nulla forma ſubſtantialis participatur ſecundùm magis, & minus; Et propter hoc Philoſophus dicit in 8. Met. quòd ſicut numerus non habet magis, neque minus, ſic neque ſubſtantia, quæ eſt ſecundùm ſpeciem, ideſt quantum ad participationem formæ ſpecificæ, ſed ſiquidem cum materia ideſt ſecundùm materiales diſpoſitiones inuenitur, magis, & minus in ſubſtantia.

Sed adhuc aliquem hæſitare uideo in verbis D. Thomæ; in ipſo articulo iamdudũ à nobis recitato in prima part. quæſt. 81. ubi ipſe Dubitatio ĩ uerbis D. Thomæ.

differentiam hanc, ſcilicet quòd unus eandem rem melius altero intelligat, non tantùm ex parte inferiorum virtutum, quibus intellectus indiget ad ſui operationem aſſignat. Illi (inquiens) in quibus virtus imaginatiua, & cogitatiua, & memoratiua, eſt melius diſpoſita, ſunt melius diſpoſiti ad intelligendum. Sed etiam ex parte ipſiuſmet intellectus dicendo. Hoc autem circa intellectum contingit dupliciter. Vno quidem modo ex parte intellectus, qui eſt perfectior. Quare videntur fundamenta noſtra, per ipſius D. Thomæ verba euerti. Nos verò ſupponimus D. Thomam opinari perfectionem hanc virtutis in intelligendo, maiorem in vno, quàm in alio intellectu aduenire ex melioris corporis diſtributione; cùm intelligendi poteſtas virtutibus corpori alligatis in ſui operatione indigeat; & ſic ratione perfectioris operationis, perfectiorẽ dici unius hominis intellectum, quàm alterius. Attamen ex verbis D. Thomæ colligitur, ipſum hanc cauſam, non modo inferiores hominis vires, ſed in ipſum intellectum redegiſſe. Quamobrem, ut etiã poſtremum hunc nodum illum in ſcirpo (vt aiunt) quærenti ſoluamus.

Solutio dubitationis.

Huic dubitationi ſic reſpondebimus. Quòd perfectio intellectus maior in uno, quàm in alio, de qua loquitur Doctor ſanctus, in prolato primæ partis loco, non debetur ipſi intelligendi facultati, nec ratione melioris naturæ animæ, in qua radicatur, nec ratione ipſius, ut eſt facultas, et proprietas quædam, lege naturali conſequens ipſam animam; quod iam ſatis exactè probatum eſt à nobis ſuperius. Sed huiuſmodi perfectio aduenit intellectui, vt actum operandi ſubit (quod quidem in hac vita facere nequit, niſi interuenientibus ſenſitiuis viribus, & diſpoſitionibus materialibus ſenſuum organa conſtituen-

conſtituentibus) & non vt ab anima proximè pullulat. Quare cùm potentia perficiatur ab actu; intellectus uerò, et ſi ut eſt facultas animæ à corpore nullam acquirit naturalem perfectionem, ab ipſo tamen tanquàm à cauſa ſine qua non accidentalem hanc perfectionem nácıſcitur, quæ eſt operatio: Hinc fit, ut quanto perfectior fuerit operatio, tanto magis perficiatur intellectus; per regulam illam. Itàſe habet magis ad magis: ſicut ſimpliciter ad ſimpliciter. Quæ quidem maior perfectio, cùm adueniat intellectui ratione uirium ſenſitiuarum, ipſi inſeruientium, quorum organa ſunt melius diſtributa, in eandem corporis cauſam, ut in cauſam remotam reſoluitur, quamuis cauſa proxima huiuſcemodi rei ſit ipſemet intelligentiæ actus, perfectior in uno quàm in alio. Quare minimè pugnāt, cum expoſitione noſtra dicta D. Thomæ; ſcilicet, quod ipſe duas cauſas aſſignat, quare aliquis intelligat eandem rem melius alio; unam ex parte ſenſitiuarum virium, alteram ex parte magis perfecti intellectus. Nam hæc eſt cauſa proxima huiuſmodi diuerſitatis, illa uerò cauſa remota, cuius ſuffragio intellectus Viatoris propriam acquirit perfectionem.

Cauſæ maioris perfectionis intellectus vnius, quàm alterius eſt duplex, proxima, & remota.

Nunc (vt arbitror) quæ in exordio orationis meæ pollicebar ſigillatim præſtiti. Nec me latet quendam præter citatos D. Thomæ locum in primo ſentent. diſtinct. 8 quæſt. 5. artic. 2. ad ſextum, qua maxime ſe tuentur Capreolus, & Iauellus poſſe ex D. Thomæ ſententia inæqualitatem animarum noſtrarum ſuſtineri. Nec etiam me præterit quid de hac re ſcribat primo cont. Gent. cap. 5 ubi Franciſcus Ferrarienſis aliorum falſiſſimam (ut opinor) ſententiam ſequens hanc D. Thomæ opinionem, de animarū noſtrarum inæqua-

litate adſcribit. Veruntamen, cùm Doctor ſanctus nihil in primo ſentent., & contrà Gent. de hac re dicat, quòd in prima part. & in 2. ſentent. non contineatur in ijs locis, quos pro exigui ingenij noſtri uiribus expoſuimus, quæ ibi ſcribit conſultò prætermitto. Iam enim longius, quàm arbitrabar mea fluxit oratio. Quamobrē tandem receptui eſt canendum. Quod ut faciamus.

Epilogus. *Sic concludimus. Hanc eſſe in re noſtra D. Thomæ ſententiam. Quòd ſicuti inter Animata diuerſorum generum illud melioris naturæ ſortitur animam, quod melius habet corpus; ita inter homines illius anima maiori conatu in actum intelligendi prodit, & maiorem pandit intelligentiæ virtutem cui melius conſtitutum ſubeſt corpus; cùm etſi intelligendi facultas nulli adiudicatur corporeo inſtrumento; indiget tamen ſentiendi uiribus corpori addictis, per quas ſibi in hac uita obiecta præparentur. Et hinc eſt quòd ille rem eandem melius intelligat altero, cui ſentiendi uires melius inſeruiunt, & magis diſtincta ſimulacra componunt, ex quibus poteſt intellectus capax lumine intellectus agentis lucidiores ſpecies haurire. Non quòd ſecundum aliquem naturæ gradum; nobiliori anima huic hominis corpori infundatur à DEO Opt. Max. cui laus ſemper, & gloria.*

FINIS.

SOLVTIO

ANNIBALIS GVASCHI ALEXANDRINI.

CVIVSDAM ARGVMENTI SIBI

propoſiti, de cauſa incorruptibilitatis Intelligẽtiarum à Raphaele Domenico Lucenſe, Ordinis prædicatorum, & Mediolani, in cœnobio D. Euſtorgij celeberrimi Gymnaſij Præfecto.

ANNIBAL GVASCHVS

DOCTISSIMO PRÆCEPTORI SVO Raphaeli Domenico. S. P. D.

EA EST (Domenice) mea erga te beneuolentia, & tibi morẽ gerendi cupiditas, ut nequeam tibi in re illa non obtemperare, quam mihi pro humanitate tua, literiſque tuis iocũdiſſimis imponere voluiſti; vt videlicet hunc tibi nodum ſoluerem; Quomodo Peripatetici deducere potuiſſent. Intelligẽtias ideò eſſe incorruptibiles, quòd materia careant; Quia ſi ratio incorruptibilitatis eſſet carẽtia materiæ,

teriæ, poſſet ex oppoſito colligi cælum eſſe corruptibile; eo quòd non caret materia: per illam propoſitionem. Si affirmatio eſt cauſa affirmationis negatio erit cauſa negationis. Hanc igitur rem tibi pro viribus dilucidare conabor; licet mihi perſpectum ſit, te nullis meis lucubrationibus indigere: id enim eſt (vt dicitur) ferre noctuas Athenis.

Et ſic in primis dico. Quòd cùm diligentiſſime explorauerim, nunquid apud Ariſt. uerba hæc reperiantur, ea nuſquam apud ,, ipſum inueni; Sed in 9. Metaphy. tex. 19. ſic inquit. In ſempiter- ,, nis nihil eſt, neque malum, neque peccatum; quia in eis non eſt poten tia. Vnde aliud eſt dicere potentiam, aliud materiam; nam materia prima de qua hîc eſt ſermo, eſt vna tantum: potentia uerò nõ ,, poteſt eſſe vna tantum. Et huius rei rationem optimè reddit D. ,, Thomas, angelicus doctor noſter in prima p. q. 75. artic. 5. in reſpon ,, ſione ad primum, cuius verba ſunt hæc. Primus actus eſt vni- ,, uerſale principium omnium actuum, quia eſt infinitum uirtualiter ,, in ſe omnia præhabens, vt dicit Dioniſius; vnde participatur à re- ,, bus non ſicut pars, ſed ſecundum diffuſionem proceſſionis ipſius; ,, Potentia autem cum ſit receptiua actus, oportet quòd actui propor- ,, tionetur. Actus uerò recepti, qui procedunt à primo actu infinito, et ſunt quædã participationes eius, ſunt diuerſi; Vnde non poteſt eſſe potentia una, quæ recipiat omnes actus, ſicut eſt unus actus influẽs omnes actus participatos; alioquin potentia receptiua adæquaret potentiam actiuam primi actus. Eſt autem alia potentia receptiua in anima intellectiua, à potentia receptiua materiæ primæ; vt ,, patet ex diuerſitate receptorum; Nã materia prima recipit formas

[Margin: Aliud eſt Potentia, aliud materia.]

[Margin: Non poteſt eſſe vna potentia, quæ recipiat omnes actus, ſicut eſt unus actus influens omnes actus.]

indi-

indiuiduales, intellectus autem recipit formas abſolutas; unde talis potentia in anima intellectiua exiſtens non oſtendit, quòd anima ſit compoſita ex materia, & forma. Hæc D. Thomas; Et ibi Caiet. obſeruat hãc doctrinam tanquam (ut ipſe inquit) pulcherrimam; ex qua concludit hoc modo. Quod in ordine actuum, qui eſt ordo cauſæ efficientis, ſit reductio ad unum numero, à quo omnes alij actus ſunt; in ordine verò potentiæ, qui eſt ordo cauſæ materialis, non ſit reductio totius uniuerſi ad unam numero potentiam, ſed ad unã potentiam analogia; id eſt ad multas potentias ordinatas ad diuerſos actus, et conuenientes inter ſe proportione; quia quælibet ſe habet ad actum ſuum, ut alia ad ſuum; ordo autem inter eas, eſt ſecundũ ordinem actuum, quorum ſunt capaces. Et ſic reductio in genere cauſæ materialis, tripliciter fieri poteſt. Primo modo omnium eiuſdẽ generis; & ſic ad unam numero potentiam; ſecundo totius uniuerſi; & ſic ad unam analogia; tertio ipſarum potentiarũ; & ſic una non reſoluitur in aliam; uniuerſaliter loquendo; quia nec potentia intellectus in potentiam materiæ, nec è conuerſo reſolui poteſt; quamuis una inter eas ſit infima ordine imperfectionis; puta materia prima; & eſt ratio ſubtiliſſima S. an. Thomæ. Quia potentia etiam prima eſt intrinſeca rei cuius eſt, & ideo oportet eſſe diuerſorum diuerſam; efficiens verò primum nihil eſt rerum; & ideo ſtat unum omnium eſſe; cauſa enim materialis eſt interna effectiua verò externa. Cùm igitur potentia paſſiua, de qua hic eſt ſermo, pluribus ſubiectis diuerſimodè cõueniat, alia eſt potentia primæ materiæ ad actum ſubſtantialem, quàm ſubiecti exiſtentis in actu ſubſtantiali, & in potentia ad actum accidentalem; qualia ſunt cor-

In ordine actuum fit reductio ad unum numero actum nõ autem in ordine potentiarum.

pora cœleſtia ad modum localem, & Intelligentiæ ad actus volun tatis, & intellectus; & quoruncunque ſubiectorum ſenſibilium, ex iſtentium in potentia ad varias formas accidentales. Et propte- rea verba illa Ariſt. in loco iam citato ſic debent intelligi; Quòd in ſempiternis non cadit corruptio; quia non habent amplius poten- tiam ad non eſſe ſimpliciter; quamuis habeant potentiam ad non eſ ſe accidentale; ut Intelligentiæ ad prædictos actus voluntatis, et in tellectus; & corpora cœleſtia ad Vbi. Idcirco quamuis in cœlo ſit materia; (quod tamen negaret Auerroes) tamen ibi non adeſt ta- lis potentia, quæ ſit cauſa corruptionis; ut bene poteſt colligi, ex eodē libro Ariſt. paulo ante in text. 17. vbi inquit. Nihil incorruptibi- lium ſimpliciter; potentia eſt ens ſimpliciter; ſecundum aliquid au- tem non prohibet; ut ſecundum quale, aut ubi, *& huic rationi admi- niculatur dictum D. Thomæ 2. ſent. diſt. 17. q. 1. art. 2. ad ſecun dum; cuius verba ſunt hæc.* Non requiritur materia eiuſdem ratio nis ad omnes motus; quia ad motum localem non requiritur mate- ria, quæ ſit in potentia ad eſſe, ſed ſolum, quæ ſit in potentia ad vbi. *Hæc D. Thom.*

Quare in ſempiternis non cadit corruptio.

Nec mihi obijcias quòd ſi actus, habet proportionem potentiæ, quòd materia prima, quæ eſt ſaltem per reductionem in genere ſub- ſtantiæ non debet habere potentiam relatam ad actum accidenta- lem; ſed ad actum ſubſtantialē; & ſic proceſſum Ariſt. & D. Tho mæ falſum videri; quia ad hanc oppoſitionem reſpondet ipſemet Ariſt. in eodem libro text. 15. ubi inquit. Materia potentia eſt do nec veniat ad ſpeciem, ideſt ad formam. *Quamobrem cùm mate ria ſit eorum, quæ ſunt ad aliquid; vt teſtatur, Ariſt. ſecundo Phyſ.*

Materia eſt eorum quæ ſunt ad aliquid.

text.

text. 26. ubi inquit; Materies eſt eorum quæ ſunt ad aliquid; Alia enim ad aliam eſt formam accomodata. Materia cœli debet eſſe tantum in potentia ad formam cœli, ad quam ſolam refertur, ut ad terminum; & non ad alias formas ſubſtantiales: cùm natura eorū quæ ſunt ad aliquid, ſit ad alterum ſe habere; & ſic accipiunt ſpeciem à termino. Et ad confirmationem iſtius rationis dicit S. Thomas in prima parte q. 75. art. 5. in reſponſione ad ſecundum. Quòd ſubijci, & tranſmutari conuenit materiæ ſecundum quòd, eſt in potentia. Igitur cùm materia cœli ſit tantum in potentia ad formam cœli, ſibi non conuenit tranſmutari in aliam formam, niſi ad formā, quam habet, ad quam refertur ut propria potentia ad proprium actum. Si verò accipiamus potentiam in materia ipſius cœli, non pro potentia actuata ſuo proprio actu ſubſtantiali; ſed pro potentia, quæ habet reſpectum ad formas accidentales, quibus caret talis materia cœli, & quibus actuari poteſt, multo magis dici poterit, quòd alia potentia conſequatur materiam cœli, quàm materiam horum inferiorum; vt bene declarat Ariſt. in 12. Metaph. text. 10 cùm inquit; omnia habent materiam quæcunque tranſmutantur, ſed aliam, & aliam; Nam ſempiternorum quæcunque non generabilia, ſed mobilia latione, non generabilem materiam habent; ſcilicet quæ ſit ſubiectum generationis; ſed unde quo; ideſt in potentia ad terminos. Et ſubdit ibidem. Naturæ materierum diuerſantur ſecundū modum naturæ tranſmutationis; & tranſlatum non generabile nec corruptibile non habet materiam, quam habet generabile & corruptibile.

Materia cœli eſt tantū in potentia ad formā cœli.

Dicamus igitur, quòd ſi legamus apud Ariſt: Intelligentias eſſe

incorruptibiles, quia non habent potentiam; id eſt ad corruptionem; quòd poterit è conuerſo inferri illa eſſe corruptibilia, quæ habent potentiam ad corruptionem; & ſic uniuerſaliter uerum erit ibi nō cadere corruptionem, ubi non recipitur potentia ad terminum talem ipſius corruptionis; quod æque probari poterit de Intelligentijs, & de corpore cæleſti.

Reſponſio ad formā argumēti

Quamobrem reſpondendo ad argumenti formā, quæ talis erat. Intelligentiæ ſunt incorruptibiles, quia immateriales, ergo cælum erit corruptibile, quia materiale. Dico; quòd ſi pro eſſe materiali ipſius cæli, intelligamus in eo potentiam ad non eſſe, negandam eſſe hanc rationem; uidelicet ipſum cælum eſſe materiale hoc modo. Si uerò pro eſſe ipſius cæli materiali, intelligamus compoſitum ex materia, & forma; admiſſo, quòd cælum haebat materiam; nego ipſum propterea eſſe corruptibile; quia etſi habet materiam; non tamen habet potentiam ad non eſſe ſimpliciter; quae requiritur ad corruptibilitatem.

Quòd ſi fiat argumentum, ut tu dicebas, nempe ideo Intelligen-
“ *tias eſſe incorruptibiles; quia carent materia; quod eſt argumentum*
“ *D. Thomæ; ex quo intendit probare ipſarum Intelligentiarum in-*
“ *corruptibilitatem; ut patet in prima parte. q. 50. art. 5. 2. ſentē. diſt.*
“ *5. q. prima. art. prima diſt. 7. q. prima art. 1. cor. 2. con. cap. 55. ſu.*
“ *q. 5. art. 3. & 4. opuſ. 5. art. 74. opuſ. 9. 41. tunc ueriſſima eſt*
“ *hac propoſitio; ſed non conuertitur ut tu in tuo argumento ipſam con-*
“ *uertebas. Proceſſus inquam D. Thom. eſt uerus; quia impoſſibi-*
le eſt ibi fieri corruptionem, ubi non adeſt materia; cùm materia ſit cauſa ſine qua non datur corruptio; nō quòd ratio corruptionis conueniat

 uenıat

ueniat materiæ ſecluſa quauis potentia: ſed quia illa potentia, quæ reſpicit terminum oppoſitum formæ ſubſtantiali, reperitur tantum in materia.

Quamobrem, cùm D. Tho. probet in ſubſtantijs ſeparatis nullam eſſe materiam talem; ex eo ſequitur in ipſas non cadere corruptionem; quia materia hæc (ut prius dictum eſt) eſt cauſa ſine qua non fit corruptio. Nec ualet oppoſitio tua. Si affirmatio eſt cauſa affirmationis, negatio eſt cauſa negationis. Ergo ſi non habere materiam eſt cauſa non corruptionis. Habere materiam eſt cauſa corruptionis, quia regula illa tantùm habet locum in cauſa proxima, & non in cauſa remota. Sed cauſa proxima corruptionis non eſt materia ſed potentia ad non eſſe. Et hæc doctrina eſt Ariſt. in primo poſteriorum cap. 10. ubi inueſtigans differentiam inter demonſtrationes quia, & propter quid; inter cæteras differentias hanc conſtituit; uidelicet, quòd illa ſit demonſtratio quia, quæ quamuis procedat à cauſa ad effectum; tamen procedit à cauſa remota ad ſuum effectum.

Materia eſt cauſa ſine qua non fit corruptio.

Vbinam habet locum illa regula ſi affirmatio eſt cauſa affirmationis negatio eſt cauſa negationis.

Quæ ſit demonſtratio quia.

Et ſi quæras, quæ ſit cauſa proxima alicuius effectus, dicam; Quòd illa dicitur cauſa proxima, ex qua omni, & ſola procedit effectus, unde animal non eſt cauſa proxima progreſſiui motus; quia non omni animali ineſt; & ſimiliter non reſpirare (quod eſt exemplum ibi ab Ariſt. allatum) non eſt ab eo, quod eſt non eſſe animal; quia non ſoli non animali ineſt; multa enim animalia non reſpirant; quamuis nihil reſpiret niſi ſit animal. Et pari ratione non habere materiam non eſt cauſa propria incorruptibilitatis; quia non ſoli nō habenti materiam ineſt, quia aliqua habentia materiam ſunt incorruptibilia;

Quæ ſit cauſa proxima effectus.

ruptibilia; quamuis nihil ſit corruptibile niſi habeat materiam. Et
" ideo inquit Ariſt. Aſſimilantur autem tales cauſæ his, quæ ſecundũ
" eceſſum dicuntur. Hoc autem eſt plus diſtans dicere medium; ut
" illud Anacharſydis, quod in Scythis nõ ſunt Tybicines; neque enim
" vites. Et ſi aduertis hæc tua ratio pecat in forma argumentandi procedit enim ab oppoſito antecedentis ad oppoſitum conſequentis, quod non licet Hæc ſunt quæ de hac re mihi occurrunt & ſic reliquum eſt ut valeas mèque diligas.

F I N I S.

Explicit liber Illuſtris viri Annibalis Guaſchi Alexãdrini, ſtudio, & cura Io. Baptiſtæ Leonis Trinenſis, Artium, & Medicinæ ſtudioſi.

Viſo, & ad verbum lecto hoc libello, non impedimus, in gratiam ſtudentium, quin imprimatur.

Frater Innocentius Vallotus Inquiſitor Caſalenſis.

Andreas Cernda Vicarius Epiſcopalis Caſalenſis.

Plato negat animas bestiis et ceteris posuerit pag: 101